

De fontibus CLEMENTIS Alexandrini.

Programma

Gymnasii Augustani ad Sti. Stephani

MDCCCLXXXVIII/IX.

Scripsit

P. Adolphus Scheck, O. S. B.



Augustae Vindelicorum.

Typis Pfeifferianis.

1889.

Gau

5. (1889)



I.

Recognitio editionum et librorum, quibus de Clementis fontibus disputatur.

Omnium ecclesiae patrum doctrina longe est copiosissimus Clemens Alexandrinus, quem summo iure appellare possimus „Plutarchum christianum“. Ut doctrina omnes eiusdem aetatis scriptores sacros gentilesque antecedit, ita fontium indagationi summas obstruxit difficultates, quoniam non nihil de suo dedit neque artem fontium unde hausit nova rerum dispositione occulendorum ignorat — solet enim dissecare quae invenit inter se connexa ¹⁾).

Cum igitur Clemens Alexandrinus *doctrina quam exhibet ad litterarum Graecarum memoriam explicandam* haud parvi sit momenti, mirum non est multos iam viros doctos post litteras renatas in hunc ipsum scriptorem ecclesiasticum studia sua convertisse. Etsi Christianarum litterarum Graeca monumenta pleraque fere iacent neglecta, tamen de Clemente Alexandrino paulo melius agitur. En habes — pro patre ecclesiastico certe longam — seriem editionum: editio enim princeps prodiit Florentiae anno 1550 cura Petri Victorii ²⁾). Patria nostra primam editionem, quae eodem iure princeps nominari potest, debet indefesso labori Sylburgii anno 1592 Heidelbergae prelo mandata. Sylburgii editionem nova cura repetivit Daniel Heinsius (Lugduni 1616) minus felix in textu restituendo quam Sylburgius. Dein per totum saeculum haec studia cessaverunt —

¹⁾ cfr. Dielesium in Mus. Rhen. vol. XXXI, p. 34 n.

²⁾ Quibus causis Petrus Victorius adductus sit ad Clementis editionem refert Kaemmel in „Jahrbücher für Philologie“ 1866, vol. 148, pag. 37.

nam editiones quae prodierunt Parisiis 1641, Coloniae 1688, Lipsiae 1700 (supplem. edit. Th. Ittig auctore), quod nihil novi docuerunt, silentio possunt praeteriri — donec exstitit qui intentione et feliciore opera in Clemente non modo editoris sed etiam interpretis munus suscepit: Ioannes Potterus, episcopus Oxoniensis, anno 1715. Is primus ad Clementis fontes indagandos plurima contulit; postea Carolus Seegaar addidit Clementis operibus libellum vel potius homiliam de evangelii verbis apud S. Marcum 10, 17: *τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος*.

Potteri librum, qui integer denuo Venetiis 1757 repetitus est, Oberthuer, canonicus Herbipolensis, in deterius depravavit atque corruptit (1780). R. Klotzius contra in prooemio ¹⁾ editionis Lipsiensis (1831—34) pollicetur „se magis Sylburgi quam Potteri editionem sequi, cum Potterus non proinde ac libri postulaverint optimi locos corruptos emendare ausus sit atque conformare: tum in emendandis his Clementis libris usum se esse scholiis Parisinis nondum editis.“ Sed parum promissis stetit: Paulus de Lagarde R. Klotzii recensionem acerbissime perstringens ²⁾ ait: „zu bemerken ist, dass der von R. Klotz besorgte Buchführerabklatsch ganz besonders nachlässig ist, viele einzelne Wörter und gelegentlich ganze Zeilen hat ausfallen lassen, vermeintliche Emendationen im Texte anbringt und die Angabe der Citate über alles Maass hinaus verabsäumt.“ Eadem quae diximus de recensione Oberthuerii et Klotzii quadrant in Clementis textum, quem Migne in „cursu Patrologiae Graecae“ vol. VIII. et IX. exhibet (1857). Hae igitur omnes editiones inferiores sunt plus minusve arte critica nostra aetate florente.

Gulielmus Dindorfius denique conabatur critica et omnibus numeris — suo quidem iudicio — absoluta recensione virorum doctorum votis respondere ³⁾. Etsi autem Dindorfius duo codices Mutinensem scilicet et Parisinum diligenter excussit ⁴⁾, multos locos emendavit, „ex inutili et intolerabili editorum et interpretum

¹⁾ pag. VI.

²⁾ Symmicta pag. 11. Göttingen 1877.

³⁾ Oxonii 1869. IV volumina.

⁴⁾ l. l. I. vol. praef. pag. V—VIII.

farragine quasi margaritas extrahit“¹⁾ tamen — liceat mihi Lagardii verbis²⁾ uti — „wir sind im grossen und ganzen nicht weiter als wir zu Potters, beziehungsweise zu Sylburgs Zeiten waren.“

Teubnerus denique, bibliopola Lipsiensis, indicavit³⁾ iam abhinc complures annos in sua officina novam Clementis editionem parari auctoribus Hiller et Neumann omnium expectationes expleturam: quam recensionem hodie usque desideramus.

Pervenimus ad alteram prooemii nostri partem, quae est recensio librorum, quibus de compilandi ratione Clementina et de eius fontibus vel auctoribus disputatur: sed perpauca sunt tardique rari fluentes. Omissis eis libris qui solius theologiae rationem habent (cfr. Nirschl: Patrologie I. s. v. Clemens) primo loco adsumendae sunt tres dissertationes Nicolai le Nourry, doctissimi monachi Benedictini ex congregatione Sti. Mauri, editae in apparatu ad bibliothecam maximam veterum Patrum (Parisiis 1703). Has dissertationes, quae „cursu Patrologiae“ integrae continentur, Dindorfius „praecisa intolerabili verbositate“ quarto suae editionis volumini inseruit: pleraque quae iis disputationibus tractantur multo subtilius a recentioribus illustrata habemus. De Clementis vero operum fontibus et origine inde ne tantillum quidem discimus: indoles aetatis illius et disciplina a talibus studiis abhorrebat. Primus hac in re rectum vidit et quasi novam viam aperuit indagantibus fontes Clementinos iam duodecim annis ante Nourrium Richardus Benteius: in epistula enim ad Millium anno 1691 data⁴⁾ agit Benteius de Sophoclis versibus ex Pseudo-Hecataeo a Clemente laudatis, quibus Clemens comprobare vult⁵⁾ et ipsos Graecos unius dei opinione imbutos esse; rectissime igitur sagacissimus criticus suspicatur hos versus

¹⁾ Scilicet pro suo arbitrio: nam in adnotationibus Dindorfii optima quaeque proximorum saeculorum editoribus debentur.

²⁾ l. l. pag. 24.

³⁾ Mitteilungen der Verlagshandlung von Teubner. No. I, pag. 1. 1885.

⁴⁾ Addita est haec epistula chronographicae Ioannis Malalae ed. Dindorf. Bonnae 1831.

⁵⁾ Strom. pag. 717. ed. Pott.

Sophocli suppositos esse a falsario Iudaeo, quem Clemens ficto Hecataei nomine semel laudet.

Centum fere annis postea Valckenarius in diatribe de Aristobulo Iudaeo ¹⁾ nova ad fontes indagandos adminicula attulit: demonstrat enim haec duo:

- 1) Aristobulum esse primum fontem Clementis, licet eum ter laudet;
- 2) doctos Iudaeos Alexandrinos ad augendam populi sui famam celeberrimis Graecorum poetis multos versus supposuisse.

Valckenarium secutus Fr. Aug. Boeckhius in libro „de Graecae tragoediae principibus“ (Heidelbergae 1808) versus a Clemente Aeschylo, Sophocli, Euripidi, Diphilo, Menandro, Philemoni aliisque tributos ²⁾ examinavit et accurata verborum ratione adhibita idem tulit iudicium ³⁾, ad quod Valckenarius historiae litterariae ratione pervenit. Deinde multa debentur Lobeckii Aglaophamo ⁴⁾, maxime in eis rebus, quae ad theologiam mysticam et oracula spectant.

Feliciter denique contigit, quod Cobetus in Clementem studia convertit. Iam studiorum suorum primitiis inseruit excursus de furtis Iudaeorum ⁵⁾ (observationes criticae in Platonis Comici reliquias. Amstelodami 1840, pag. 68—79). Idem paulo post duo commentariola edidit in Mnemosyne XI. pag. 334—336 et pag. 383—393. Dein sequuntur tres dissertationes ad epistularum formam lingua Graeca compositae in *Λογίων Ἐρμῆ* (Lugduni Bat. 1866/67 *τομ. α'. τευχ. α': Λογοθωτικά εἰς τὰ Κλήμεντος τοῦ Ἀλεξανδρέως σελ. 166—200; τομ. α'. τευχ. β'. σελ. 201—287;*

¹⁾ Valckenarii diatribe, opus postumum, est edita per Ioannem Luzac 1806. (Eusebii Praeparatio evangelica vol. IV. 339—451 ed. Gaisford).

²⁾ Strom. V, 14 pag. 717.

³⁾ Böckh l. l. cap. XII, pag. 146: „aetate Alexandrinorum poetarum et litteratorum docti Iudaei, imprimis Aristobulus, ad augendam et populi sui famam et religionum fidem impia magis quam pia fraude multos versus supposuerunt.“

⁴⁾ Aglaophamus sive de theologiae mysticae Graecorum causis. 2 voll. Regiom. 1829.

⁵⁾ Clem. strom. VI, 2 p. 752.

σελ. 424—534). Cum vero ordo, quem Cobetus in his dissertationibus servat, non quadret in continuationem librorum Clementinorum, Dindorfius in sua editione singula argumenta, quae tractantur, librorum ordini adaptavit¹⁾. Post Cobetum Friedlaender et Nauckius emendationes criticas in Clementem Alexandrinum publicaverunt: ille „observationes miscellaneas“ in indice lectionum Regiom. 1869/70: hic „Kritische Bemerkungen“ in Bulletin de l'académie impériale des sciences du St. Pétersbourg vol. XII, 1868, pag. 526—28, vol. XVII, 1872, pag. 267—70, vol. XXII, 1877.

Proximis tandem superioribus annis accesserunt Ernestus Maassius, qui in „quaestionibus de biographis Graecis selectis“²⁾ Favorinum communem esse fontem et Clementi et Diogeni Laertio docet³⁾. Simul cum Maassio conscripsit Udalricus de Wilamowitz-Möllendorff „commentariolum grammaticum II.“⁴⁾ in quo „nonnulla Clementina, quae ad litteras aureae aetatis faciant“ et mythographica Clementis excerpta ad originem examinantur. Idem facit Dielesius in doxographis Graecis pag. 244 seqq. de philosophorum successionibus (Clem. strom. I, 14). Nuperrime denique E. Hiller commentariolum publicavit: Zur Quellenkritik des Clemens Alexandrinus (Hermes 21. vol. Heft I.).

¹⁾ ed. Dindorf vol. I. praef. p. XLIV—LIV.

²⁾ Philologische Untersuchungen herausgegeben von A. Kiessling und U. v. Wilamowitz-Moellendorff. 3. Heft. Berlin 1880.

³⁾ l. l. pag. 87, 95, 107, 127.

⁴⁾ In indice scholarum universitatis Gryphiswaldensis 1880. sem. hibern.

II.

Qua doctrina exstructus religionis Christianae propugnatoris munus suscepit Clemens.

Ad scriptorem aliquem iuste aestimandum atque probe iudicandum, multum certe utilitatis capiemus, si solidam illius aetatis qua floruit ille imaginem expresserimus, si illam quam a pueris ingressus erat doctrinae viam diligenter examinaverimus, si denique causas quibus adductus est ad scribendum accurate perspexerimus.

Multi igitur viri docti, qui de Clemente iniquum tulerunt iudicium, in eo peccaverunt, quod hanc rationis regulam ac normam omiserunt. Sine ullo dubio Clemens suis scriptis — si largam argumentorum copiam respicimus — omnes quos nunc vocamus polyhistores Christianae aetatis longe superat: neque tamen, ex quo Valckenarii diatribe in lucem prodiit, latet homines litteratos Clementem multa, quae ex longa auctorum serie quos enumerat *αὐτολεξεί* excerpta affert, ex falsariis Iudaeis omisso nomine descripsisse. Unde factum esse videtur, ut recentioris aetatis critici mirum quantum haereant ac fluctuent inter eius laudem et vituperationem. Veluti Valckenarius Clementem nostrum „doctissimum patrem“ iudicat eundemque „simplicem ac *ταχυπειθῆ* necnon stolidum falsarium“; longe autem acerbissime eum perstringit Cobetus quasi furem et compilatorem: „miramur, ait ¹⁾, qua fronte Clemens, quod ipsum tunc maxime committebat, (sc. in recensendis furtis Graecorum), acerbis summis Graecorum ingeniis non dubitet exprobrare“; vel alio loco ²⁾: „τὰ πάγκαλα ταῦτα ὁ εὐηθῆς Κλήμης μεταγέγραφεν οὐ γὰρ βούλομαι λέγειν κατ' αὐτὸν τὸν Κλήμεντα „*κέκλοφεν*“ κτλ; idemque Cobetus non potest non concedere: „τὰ τοῦ Κλήμεντος, ἀνδρὸς ἐλλογίμου καὶ φιλομαθοῦς καὶ ἀναγνωσμάτων Ἑλληνικῶν πολὺν πραγμανοήσαντος βάθος ὥς ὀλίγοι τάχα πον τῶν πρὸ αὐτοῦ. Ὁ Κλήμης,

¹⁾ Plato Com. pag. 73.

²⁾ Λόγιος Ἑρμῆς. σελ. 170.

καίπερ πλεῖστα τοῖς τῶν παλαιῶν βιβλίοις ὠμιληκῶς καὶ πολλὰς αἰεὶ τῶν τε ποιητῶν ῥήσεις καὶ τῶν καταλογάδην γεγραφότων μαρτυρίας φιλοτίμως παρατιθέμενος . . .¹⁾ Itaque ei qui dubii haerent quomodo rem miram explicent, valde errant, cum Clementem aequae atque Athenaeum, Alexandrum, cui „Polyhistoris“ cognomen proprie indebatur, aliosque sibi proposuisse censeant quam plurimas res ad historiam, litteras, antiquitates, mythologiam spectantes undique congerere atque colligere.

Quodsi ita esset, sane nosmet ipsi primi eum merito „furem et latronem“ diiudicarem.

At vero in Clementis scriptis sincere ac iuste examinandis id ante omnia est tenendum, Clementem quippe qui in primis rerum Christianarum propugnatoris munus suscepisset nihil aliud scribendo voluisse aut spectasse nisi ut novam illam doctrinam ab iniustis Graecorum Romanorumque calumniis defenderet: disputat enim cum contra gentiles, ut praeceptis Christianis ad litteras Graecas revocatis eo facilius ad Christi fidem suscipiendam illos commoveret — *Προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας* — tum se vertit ad eos, qui profanis Graecorum erroribus iam relictis religionem novam amplexi erant — *Παιδαγωγὸς* et *Στρωματεῖς*. Inde tamquam brevissimum eius operum compendium haec ferme statuere possumus: Non esse cur rerum Christianarum studiosi metuant, ne errore abiecto et ipsis originis patriaeque bonis, litterarum elegantia, philosophia priventur: Iudaeorum enim ac proinde Christianorum litteras, cultum humanitatemque Graecis priores exstitisse. „Graecos scriptores etiam vetustissimos, si quid habeant prae ceteris eximium, id illos omnes derivasse de libris nostris Sacris foederis antiqui“²⁾.

Hanc igitur sententiam Clemens cum ceteris scriptis tueri atque comprobare studet tum maxime cohortatione ad gentes (*προτρεπτικός*), qua tota quasi a carceribus ad calcem eiusmodi argumenta prosequitur. Deinde materia instituta porro tractatur stromatum libris primo, secundo, quinto, sexto. Primo enim

¹⁾ I. I. pag. 166, 201.

²⁾ Valckenaer: Aristobulus Iud. pag. 11.

stromatum libro descripta philosophorum ac scholarum apud Graecos successione earumque auctoribus ac tempore quo florere diligenter adnotatis, quaecumque apud Graecos tam in philosophia, quam reliquis in artibus praeclara exstiterunt, ea maxima ex parte a barbaris esse profecta, institutaque ac leges Iudaeorum multo esse antiquiora philosophia Graecorum curiosissima temporum ratione Clemens evincit. Moysen, cuius historiam breviter perstringit, seu exemplar egregii ducis, legislatoris, philosophi omnibus numeris absolutum proponit, datam ab eo legem defendit ac demum exeunte libro Graecos ad Iudaeos eorumque instituta pueros recte esse appellatos contendit¹⁾.

Libro secundo omnes virtutes, quarum praecepta in libris Moysis exarata sunt, praeuisse Graecis principium et fundamentum totius morum doctrinae demonstrat²⁾.

Libro quinto probare conatur Clemens Graecos, quidquid veri cognovissent in philosophia, a barbaris praesertim ab Hebraeis esse mutuatos³⁾; libro denique sexto demonstrare pergit Graecos ex Iudaeorum scriptis plurima hausisse⁴⁾.

Eandem ceterum opinionem Iudaeorum litteras Graecis antiquiores esse iam scriptores ecclesiastici, qui ante Clementem floruerant, praedicabant veluti Iustinus Martyr in apologia prima pro Christianis pag. 46, incertus auctor paraenesis ad Graecos pag. 62, Theophilus ad Autolycom l. III, pag. 127, 137, Lactantius instit. l. IV, c. 5.

Quaeritur igitur primum qua ratione scriptores ecclesiastici adducti sint, ut ad unum omnes Graecorum litteras philosophiamque ex sacris Iudaeorum libris haustas esse contenderint? Huic quaestioni lux addi non poterit antea quam res litterarias illius aetatis universas accurate persecuti simus, cum in litteris vicissitudines non subito ac repente fiant, sed scriptor alius alium excipere soleat.

¹⁾ Strom. lib. I. cc. 5, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 29.

²⁾ Strom. II, 5, 18, 21, 22.

³⁾ Strom. V, 5, 8, 14.

⁴⁾ Strom. VI, 2, 3, 4 (de furtis litterariis Graecorum).

Ac primum quidem eidem adversarii, quos iam ante complura saecula Alexandrini Iudaei doctissimis dissertationibus acerrime propugnauerant, postea Christianis exstiterunt, cum Tacito et Suetonio testibus Christiani et Iudaei confunderentur: Christianis enim aequae atque Iudaeis opprobrio vertebatur eos aureum asini caput adorare, homines immolare ¹⁾).

Clemens deinde magistri et sacerdotis munere fungebatur Alexandriae, unde cognomen Alexandrinus duxit, qua in urbe eiusmodi studia a doctis Iudaeis oppido tractabantur.

Mirum enim est, cum praeter S. Paulum apostolum, qui talia epistulis suis interdum immiscebat ²⁾), et duos tresve alios quos supra enumeravimus, scriptores Clemente priores quos vulgo apologetas vocamus gentilium errores ex corruptis moribus et falsa deorum opinione impugnent, Clementem primum in illos famosos libellos a Iudaeis nobile nomen mentitis conscriptos incidisse: his armis quasi aerugine mundatis adversarios philosophiae litterarumque ratione, quibus illi valde iactabantur, redarguere atque refellere enixe studet.

Praeterea historia illius aetatis litteraria docemur, tum ipsum „omnigenae eruditionis“ scriptores ad sententias confirmandas longam auctorum seriem quos ne inspexerunt quidem laudare, fontes vero unde hauserunt reticere consuevisse. Neque Clementi quidem hanc scribendi atque compilandi rationem ab adversariis crimini esse datam, inde colligere possumus, quod Eusebius Praeparationi evangelicae summis Clementi nostro laudibus tributis illos spurios aut fictos locos Clementinos inseruit ³⁾).

Deinde veteres inter Graecos et Iudaeos inimicitiae ultimo

¹⁾ Iosephus c. Apion. II, 7; Plut. symp. IV, 5. Tac. hist. V, 4. Damocritus apud Suidam s. v. *Δαμόκριτος περὶ Ἰουδαίων* · „ἐν ᾧ φησιν, ὅτι χρυσὴν ὄνον κεφαλὴν προσεκύνουν καὶ κατὰ ἐπιτασίαν ξένον προς — ἐφερον καὶ κατὰ λεπτὰ τὰς σάρκας διέβαινον καὶ οὕτως ἀνέχον.“

²⁾ cfr. Der heil. Paulus und die griech. Klassiker in „Stimmen aus St. Paul.“ Rom 1860. pag. 261 sqq.

³⁾ Praep. ev. p. p. 61 sqq.; 175 sqq.; 410 sqq.; 461—63; 475 sqq.; 496—500; 548—550; 668—691.

ante Ch. n. saeculo depositae erant inprimis Philonis cura et opera, qui duos sacrorum ritus, Iudaeorum dico et Graecorum, qui illis temporibus soli toto fere orbe terrarum exercebantur colebanturque, in unum confundere summopere enitebatur: quod ut assequeretur, missis controversiis opiniones Hebraeorum divinas immutata oratione allegorice interpretatus Graecam quandam Iudaicae religionis elegantiam scriptis suis affectavit ¹⁾).

Haec igitur omnia, quaecunque adhuc de Clementis „furtis litterariis“ disputavimus, si iterum atque iterum consideraverimus, temerariam quam si quis tulerit sententiam candide corriget neque eum iniquius diiudicabit quam alios illorum temporum scriptores, qui in idem vitium inciderunt. Ita et ipse Valckenarius Clementis compilationem excusavit ²⁾).

Unum denique restat nobis Clementem a levitatis in scribendo atque „ἀκρισίας“ crimine tueri ac defendere: obicitur enim „eruditissimo patri et genuino stili Platonis imitatori“ nugacibus subditiciisque tam aliorum falsariorum quam Aristobuli libellis eum esse deceptum. „Prae omnibus Clementem Alexandrinum mirari se, ait Valckenarius ³⁾, Christianorum patrum sine controversia longe eruditissimum, nisi hic etiam tamquam genuina Hebraeorum vatum et apostolorum scripta, nugaces libellos laudasset neque nimis „historiae commenticiae“ ⁴⁾ credidisset, eodem secundo saeculo quo nullum fuit istharunce fraudum feracius partim a Iudaeis partim ab hominibus Christianis nobile nomen mentitis conflatos.“

¹⁾ cfr. P. V. Schmidt: Quomodo ultimis a. Ch. saeculis Iudaismus paganismo coaluerit. Lipsiae. 1885.

²⁾ l. l. p. 72: „Descripserit et ex aliis libellis non pauca, quorum auctores ne nominat quidem. Veritatis amans haec scribo, nec omnino Clementis vituperandi gratia, quem suo merito facio sane maximi. Fecerit hoc Clemens: fecerunt alii item boni. Ipse Cicero multos veterum poetarum locos aliosque non paucos Latinos fecit e Chrysippi commentariis. Quis Ciceronem propterea culparet aut si vel superessent Chrysippi librorum aliquot, quis non eadem Latina facta legere mallet a Cicerone quam Graeca requirere de Chrysippi libris?“

³⁾ l. l. pag. 7.

⁴⁾ cfr. Hercheri praef. libelli de fluviis et commentarios in novas historias Ptolemaei Chenni; add: N. J. f. Phil. Suppl. N. F. I. 1855. pag. 161 sqq.

Nos quidem haec contra disputamus: naturam vel indolem scriptoris alicuius examinantibus non licere ex priorum posteriorumve saeculorum ingenio atque moribus auctorem qui altera aetate floruit diiudicare: ut igitur Clemens in concutiendis locis parum diligens erat, ita ipsi alii, qui secundo p. Ch. saeculo scripserunt: sit Clemens deceptus Iudaeorum fraudibus, et alii eisdem decepti sunt e. g. Iustinus Martyr et auctor incertus libelli de monarchia.

Pervenimus ad alteram huius quaestionis partem, qua de Clementis doctrina pauca disserere nobis proposuimus: ea in re missis aliis disciplinis solam philologicam qua illis temporibus imbui potuit eruditionem accuratius perscrutaturi sumus.

Teste Epiphanio natus est aut in ipsa Alexandria¹⁾ aut Athenis. Clementem Atheniensem fuisse imbecillo adminiculo fulcitur; ex primo autem stromatum libro cap. 1 § 11, unde cognovimus eum in Aegypto ab itinerum laboribus conquievisse (l. l. ἤδη δὲ οὐ γραφὴ εἰς ἐπίδειξιν τετεχνασμένη ἢ δὲ ἡ πραγματεία· ἄλλα μοι ὑπομνήματα εἰς γῆρας θησανρίζεται λήθης φάρμακον, εἰδωλον ἀτεχνῶς καὶ σκιογραφία τῶν ἐναργῶν καὶ ἐμψύχων ἐκείνων, ὧν κατηξιώθην ἐπακοῦσαι, λόγων τε καὶ ἀνδρῶν μακαρίων καὶ τῶ ὄντι ἀξιολόγων. τούτων ὁ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος, ὁ Ἰωνικός· οἱ δὲ ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος· τῆς κοιλῆς θάτερος αὐτῶν Συρίας ἦν· ὁ δὲ ἀπ' Αἰγύπτου· ἄλλοι δὲ ἀνὰ τὴν ἀνατολήν· καὶ ταύτης ὁ μὲν τῆς τῶν Ἀσσυρίων· ὁ δὲ ἐν Παλαιστίνῃ Ἑβραῖος ἀνέκαθεν· Ὑστάτω δὲ περιτυχών· δυνάμει δὲ οὗτος πρῶτος ἦν· ἀνεπαν-σάμην ἐν Αἰγύπτῳ θηράσας λεληθότα) intellegi potest neque Alexandrinum fuisse Clementem. Eum nobili genere esse ortum apparet ex festiva urbanitate et morum elegantia, quam altero Paedagogi libro commendat; unde concludimus illi neque opes ad acquirendam „ἐγκύκλιον illius aetatis παιδείαν“ defuisse.

¹⁾ Epiph. haeres. XXX, 6: Κλήμης· ὃν φασὶ τινες Ἀλεξανδρεῖα, ἕτεροι δὲ Ἀθηναῖον. Epiphanius, episcopus Salaminus, floruit a. 310—403. Matter (histoire de l'école d'Alexandrie. Paris 1844. tom. II. p. 261) Gallica quadam levitate testibus huius gravissimae rei non laudatis contendit: Clément avait fait ses études parmi les philosophes d'Athènes.

Pantaeno in doctrina Christiana usus est magistro scholae Stoicae antea addicto, cui succedebat in regenda schola Alexandrina.

Ceterum neque ex argumentis quae tractantur neque ex dicendi genere certi quidquam de eius origine colligitur. Primo quidem — aperto pectore fateor — vehementer adductus sum, ut ex accurata et diligenti eruditione, quam Clemens quarto Protreptici capite de antiquis statuīs exhibet, coniecturam fecerim Clementem Athenis aut natum aut diutius commoratum esse: sed postea quam planius intellexi, quantopere in eius modi rebus auctor hic ab falsariis Iudaeis pendeat, ea opinione reiecta mihi persuasi Clementem hanc ipsam de artibus peritiam illis debere fontibus unde alia haurire solet; quamvis libenter concedam singulos huius capituli „de signis“ locos ad Tatianum revocari facile posse, quippe qui, ut et ipse testatur¹⁾ et Bluemnerus confirmat²⁾ statuas quas laudat ipse *αὐτοψεί* inspexerit.

Alexandrinus noster ut genere dicendi et elocutione utitur ieiuna, ita haud raro Atticorum elegantiam aemulatur concinnam ac perspicuam, ab multis illius aetatis linguae vitiis liberam. More autem recentiorum Graecorum quos vulgo Hellenistas vocamus simulat negligentiam quandam elegantioris stili, ita ut ipse fateatur „οὐ γάρ μοι τῆς λεξιθρησίας μέλει μήτε μὴν ἐπιτηδεύειν ἐλληνίζειν“³⁾; huius vitii excusationem affert locum quendam Platonium in deterius depravatum⁴⁾: „τὸ μὴ σπουδάζειν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι,

¹⁾ Tatian. πρὸς Ἑλλήνας §§. 33, 34, 35 edit. Otto: ταῦτα μὲν οὖν οὐ παρ' ἄλλον μαθὼν ἐξεθέμην, πολλὴν ἐπιφοιτήσας γῆν, καὶ τοῦτο μὲν σοφιστεύσας τὰ ὑμέτερα, τοῦτο δὲ τέχναις καὶ ἐπινοαῖς ἐγκυρῆσας πολλὰς, ἔσχατο δὲ τῇ Ῥωμαίων ἐνδιατρίβας πόλει, καὶ τὰς ἀφ' ἑμῶν ὡς αὐτοῦς ἀναχομισθεῖσας ἀνδριάντων ποικιλίας καταμαθών· οὐ γάρ, ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς πολλοῖς, ἀλλοτριαῖς δόξαις τὰ μαντοῦ κρατύνειν πειρῶμαι, πάντων δὲ ὧν ἀποποιήσομαι αὐτὸς τὴν κατέληψιν τοιῶν καὶ τὴν ἀναγραφὴν συντάττειν βούλομαι.

²⁾ Über die Glaubwürdigkeit der kunsthistorischen Nachrichten Tatians. Archäologische Zeitung, 28. Jahrgang 1871, pag. 86—89. cfr. Foerster: Über die ältesten Herabilder nebst einem Excurs über die Glaubwürdigkeit der kunstgeschichtlichen Angaben des Athenagoras. Gymn.-Programm. Breslau 1868.

³⁾ Clem. 1. 1. pag. 344.

⁴⁾ Plat. Polit. pag. 531.

πλουσιώτατος εἰς γῆρας ἀναφανήσει φροσῆσεως.“ Licet Clemens contendat et asseveret — id enim omnis fere assolent¹⁾ patres ecclesiastici ut sententias verborum elegantiae praevalere demonstrent — se opera data politioem et sublimiorem orationem neglexisse, tamen „*λεξιθρησίας*“ saepe numero facile convincitur; nam interdum delabitur ad „speciosa vocabula et sesquipedalia verba“ vel poëtarum more verba fundit²⁾. Memoratu denique dignum esse videtur, quanto studio Clemens „*Ατθίδα*“ Luciani opera renatam et redintegratam excoluerit³⁾.

Ex eis igitur quae usque nunc de proprio Clementis dicendi genere exposuimus, merito nos colligere consentaneum est Clementem in veteribus scriptis esse volutatum ut quem maxime: trecentos duodequingenta auctores numeravimus, quos ut ipse subobscurè significat iterum atque iterum perlegisse videtur; ex sexcentis maximam partem amplissimis laudat locorum quasi nubes; litteras Graecas, Hebraicas, Aegyptias, Chaldaicas attigit; Graecorum tragicos poëtas et comicos „nocturna manu versat versatque diurna“: quid mirum si Valckenaer summa affectus admiratione exclamaverit: „Vir ille perdoctus non hodie dumtaxat superstites ex antiquitate scriptores, sed et scripta centena deperdita nobis studiosissime legerat, antequam coelitus collustratus Christi disciplinam amplecteretur.“ Idem feret iudicium

¹⁾ In eius modi rebus quasi insanit S. Gregorius Magnus praefat. in Job I, pag. 6: „non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs motusque praepositionum casusque servare nolo, quia indignum existimo ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati.“

²⁾ En habes talia exempla: *τὸ κόσμον σαγηνεύειν, σίζουσι ταγήνους περιηχέσθαι, κατατρίβειν τὸν βίον ἀμφὶ τὴν ἰγδιν καὶ τὸν ἀλεκτρίβανον.* („*Λέξεις ποιητικὰς καὶ ἀνακεχωρηκίας θηρώμενος φαίνεται καὶ ταύταις σεμνότερον τὸν λόγον καὶ ὀγκωδέστερον ποιῶν.*“ Cob. l. l. pag. 279.)

³⁾ l. l. pag. 42: *ἐγενέσθην δὲ καὶ ἄλλω τινὲ δύω Κρητικῶ, οἶμαι, ἀνδριαντοποιῶ. Σκύλης καὶ Αἰποῖνος ὀνομαζέσθην· τοῦτῳ δὲ τὰ ἐν Ἀργεὶ τοῖν Διοσκούροιν ἀγάλματα κατεσκευασάτην κτλ. αὐτῶν τῶν θεῶν· τῶν χειρῶν.* Ex hac dualis frequentatione, qui numerus Alexandrinorum qui vocantur Hellenistarum temporibus plane intercidit, coniectura conicere licet — ut Aristarchus similia ex dualis usurpatione apud Homerum est suspicatus — natione ne Aegyptium quidem fuisse Clementem.

quisquis semel vel leviter eius libros attigerit; qui autem eruditionis quasi rivulos secutus erit, brevi inveniet sexcentos illos libros quos excerpisse se iatat haud difficile ad pauculos eosque adulterinos posse revocari — id quod infra singulis excursibus illustrabimus et demonstrabimus. Graecorum denique fabulis Romanensibus quae nimium quantum secundi p. Ch. n. saeculi ingeniis studiisque respondebant et ipse Clemens vehementer delectatur: memoratu quidem dignum esse videtur omnes fere quos Clemens laudat Aristotelis locos depromptos esse ex illis tum ipsum maxime quasi luxuriantibus fictis subditiis et Aristotelis scriptis ¹⁾).

Pervenimus tandem ad ultimam relationis huius partem, qua de philosophica Clementis eruditione pauca disserere nobis restat. Ac primum quidem quaeritur utrum Clemens philosophi cuiusdam praecepta unice probaverit an — ut ait Horatius ²⁾) nullius addictus iurare in verba magistri, quocunque eum rapit tempestas, deferatur hospes; nam inter omnes fere doctos constat scriptores ecclesiasticos Alexandriae florentes *Platonem* vel rectius recentiore eius disciplinam quae neoplatonica vulgo vocatur philosophia esse secutos; sed adhuc sub iudice lis est neque omnino omnibus numeris absoluta ³⁾). Platonis quidem

¹⁾ Valentinus Rose (Aristoteles pseudepigraphus. Lipsiae. 1863) examinat quattuordecim locos pseudepigraphos qui apud Clementem inveniuntur; in diiudicando libr. I. strom. pag. 399 . . . ὡς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Φωκέων πολιτείᾳ haec in universum de fontibus quos secutus sit Clemens in Aristotele laudando disputat: „Fragmentum manifesto spurium . . . recentes primi fere post Chr. n. saeculi Chaldaicasque sapiens superstitiones: quod ad pessimum illud pertinere falsarum litterarum genus de quo egit Hercherus persuadet Dorotheus eodem loco pag. 399 Pott. citatus, fictus ille Pseudoplutarcheorum testis quem novit ipse Clemens Protrept. pag. 35 homo semidoctus facileque deceptus quemque Ptolemaei inventis fidem habuisse animadvertit Hercher, ceterorum scriptorum auctoritas est in utroque Clementis loco unacum Dorotheo citatorum Demarati, Pythoclis et Monimi etiam ut credo Mirabilium scriptoris et aliorum fortasse, quorum et nomina nota et libri.“

²⁾ epp. I, 1, 14, 15.

³⁾ Daehne: De γνώσει Clementis Alexandrini et de vestigiis neoplatonicae philosophiae in ea obviis. Döllinger: Heidentum und Judentum, pag. 295 sqq.

placita patres maximi fecisse nemo philosophiae peritus infitiabitur; sed in ipso Clemente difficillimum est cognitu, in quantum Platonis auctoritas valuerit, quippe cum Iudaei, ex quibus Alexandrinus ille hauriebat maximam partem, recentiori Platonis scholae unice sint addicti. Atque tamen ex Platonis locis quos Clemens permultos, ne semel quidem ut assolet auctorem reticens, scriptis inseruit, ex summa deinde diligentia quam in laudando exhibet, ut Dindorfii iudicio¹⁾ optimi quique codices cum Clementis scriptura plerumque consentiant, ex eo denique, quod inter tot tantosque Platonis locos unus interpolatus exstat²⁾, summo iure concludere possumus, Clementem Platonis libros ipsum saepe-numero inspexisse atque proinde Platonicos locos, quos laudat, certe eandem habere auctoritatem in textu Platónico restituendo quam codices aetate longe inferiores.

Multo vero difficilius est de *Aristotelis* quos Clemens affert locis rectum intellegere. Iam V. Rosei laudavimus opinionem, qui Clementi, quod falsarum litterarum genere saepe est deceptus, neque in ipso Aristotele esse credendum comprobare vult; alios Aristotelis locos ad Aristobulum — τὸν περιπατητικὸν φιλόσοφον — esse referendos censemus; nonnullis denique Aristotelis placita tam accurate ac dilucide illustrantur et explicantur, ut valde dubitemus, num Clemens ipse, quippe qui sit compiler sua aliunde repetens, has subtiles explanationes composuerit: Bernaysius benignius tulit iudicium³⁾ illos auctos locos Clementem hausisse ex optimo interprete, quem in bibliotheca Alexandrina invenisset: nos equidem putamus eiusmodi subtiles locos illum debere Aristobulo, quem, si ex cognomine peripatetici nobis conicere licet, in Aristotelis scriptis fuisse quam maxime versatum nemo non facile nobis concedet.

Id unum in extremo hoc de Clementis doctrina commentariolo adiungimus, etiam locos, quos ille ex Xenophontis libris

¹⁾ ed. Clem. Al. vol. I. praef.

²⁾ Sexta Platonis epistula strom. V, 14 pag. 710, quam infra examinabimus.

³⁾ Bernays: Symbola Bonnensia 1864 — 67 ad Clem. strom. II, 14. pag. 461.

laudat, non ex Xenophonte ipso, sed ex Musonio esse sumptos, unde Stobaeus quoque sua deprompsit: compares velim apud Clementem paginas 190, 240, 243, 166, 169, 171, 172, 174. cum Anthologia 1, 84; 18, 38; 17, 160; 18, 166. Quod denique Clemens et Stobaeus in laudandis poetis plerumque mirum in modum consentiunt, coniectura inde assequi possumus, utrumque eodem fonte usum esse, illum Aristobulo, qui grammaticos Alexandrinos compilaverat, hunc eis ipsis grammaticis.

III.

De adulterinis qui Clementis aetate circumferebantur libris.

Iam in proxima superiore commentatione suspicionem movimus Clementem pleraque, quae ad litteras Graecas spectant, non ex auctoribus ipsis quos laudat hausisse, sed ex fictis spuriisque libris a Iudaeis Alexandrinis eo consilio compositis, ut Hebraeos Graecis superiores fuisse et litteris et artibus comprobarent. Quae igitur adhuc ex ratione, quae inest Clementis scriptis, coniectura quadam suspicati sumus, ea hoc capite singulos istos scriptores, in quorum numerum inprimis referendi sunt *Aristeas*, *Hecataeus Abderita*, *Numenius Apamensis*, *Eupolemus*, *Artapanus*, *Demetrius*, uterque *Philo*, *Alexander Polyhistor* ¹⁾ *Aristobulus*, eorumque libros adulterinos recensentes, novis argumentis comprobabimus. Qua in re bene animadvertendum est, Clementem ne eos quidem sex septemve auctores inspexisse, sed praeter *Josephum* et *Aristobulum* tantum *Alexandrum Polyhistorem*, qui aliorum scripta excerpterat. Praeterea nobis saepenumero cum ex argumentorum consensu tum maxime ex verborum contextu, quem Clemens plerumque retinet, conclu-

¹⁾ Eorum reliquias collegit Mueller: *Fragmenta historicorum Graecorum* voll. II. et III.

dendum erit. *Aristobulum* quidem *nominatim* Clemens *quater* commemorat: atqui iam Valckenarius ¹⁾ ex reliquiis apud Eusebium superstitibus permultos alios Clementis locos ex Aristobuli libris depromptos esse cognovit: quodsi decies Aristobulum *suppresso nomine* exscribit, nonne nobis conicere licebit, alios quoque locos, quibus eadem argumenta tractantur, ad eundem auctorem esse referendos? Haec vero pauca in universum disputavimus de ratione, qua Clemens in usum suum convertit libros Iudaeorum spurios: nunc singulos scriptores quos supra enumeravimus accuratius examinabimus.

1. Aristeas vel rectius Pseudo-Aristaias, quem Clemens *nominatim* nusquam laudat, commenticiam illam epistulam ad Philocratem datam composuisse fertur ²⁾. Ut res quae narrantur fictae, ita et ipsum auctoris nomen falsum (*καὶ τοῦνομα αὐτὸ κατέψευσται* Cobetus). Aristeam unum ex Ptolemaei Philadelphi familiaribus fuisse verisimile est; cuius nomine perperam assumpto Iudaeus quidam famam atque gloriam sacrorum librorum augere et propagare conabatur. Ex initio epistulae, quam falsarius ille pontificem Eleazar ad Ptolemaeum dedisse fingit, intellegi potest, eum litteris Latinis esse imbutum neque omnino Ptolemaei Philadelphi temporibus scripsisse; ita enim scribit: „εἰ αὐτός τε ἔρρωσαι καὶ ἡ βασίλισσα Ἀρσινόη ἡ ἀδελφὴ καὶ τὰ τέκνα, καλῶς ἂν ἔχοι“: cui hunc locum legenti non venit in mentem illius Romanorum: „si vales, bene est?“ Eisdem verbis parum Graecis

¹⁾ l. l. p. 9 sqq; 11 sqq; 66 sqq; 71; 72; 89.

²⁾ His enim litteris istae mirae res, quae accidisse tradebantur, cum Iudaei Alexandrini Sacram Scripturam in Graecum sermonem vertebant, copiose describuntur; tamen incertum est, quo tempore haec famosa epistula composita sit, cum parum constet, num Aristobulus, qui primus Demetrium Phalereum illius translationis participem fuisse commemorat, iam ex Aristeia hauserit. Cfr. Gerh. Jo. Voss: de historicis Graecis. Francof. 1677. l. c. 10. Fabricius: bibliotheca Graeca III, pag. 469 ed. Harless. Hody: contra historiam Aristeae de LXX interpretibus. Valckenaer l. l. p. p. 6. 7. Cobet *Δόγιος Ἐρμῆς* pag. 177 sqq. Exstat haec epistula apud Iosephum ed. Havercamp. Add: Graetz: Geschichte der Juden. Leipzig. 1856. Bd. III. pag. 298—342 eiusque commentariolum in „Monatsschrift f. Gesch. d. Judentums.“ 1876. p. 289 sqq. Freudenthal: Hellenistische Studien. pag. 125, 141. Zeller: Philosophie der Griechen III, 2 pag. 227. 228.

utitur Iosephus ¹⁾, qui, ut assolet, Aristeam *semel* obiter *nominatim* laudatum compilavit. Quaecunque postea Pseudo-Numenius, Aristobulus, Demetrius eosque secutus Clemens fabulantur et comminiscuntur, Graecos philosophiam ex sacris Iudaeorum libris derivasse, qui iam Platonis aetate in linguam Graecam translati essent, ea revocanda sunt ad illum nequissimum falsarium; in Demetrii libris examinandis iterum nobis de isto homine disputandum erit. Summo igitur iure Cobetus ²⁾ eum perstringit quasi „τὸν πρωταγωνιστὴν τὸν κατεψευσμένον τούτου τοῦ δράματος“. Aristeeas enim primarius auctor est illorum librorum, quos Iudaei Alexandrini, ut gentis suae famam augerent, fictis nominibus supposuerunt; quibus libris adducti Iudaei ac Christiani usque ad mediam aetatem tam iniquum tulerunt iudicium de litteris Graecis; ea in re excipiendi sunt illi soli scriptores ecclesiastici, qui ex S. Basilii schola prodierunt.

2. Alterum nobile scriptoris nomen, quod Iudaeus quidam falsarius sibi vindicavit, est *Hecataei Abderitae* vel Pseudo-Hecataei: nam iste homo litteratus neque nomine Hecataeus erat neque natione Abderita. Ante omnia igitur necesse erit vitam *genuini* Hecataei eiusque opera accurate ac diligenter examinare, ut fictum librum, quem Iudaeus iste Alexandrinus eius nomen mentitus edere audebat, eo facilius adulterinum diiudicare possimus.

Hecataeus Abderita ³⁾, Pyrrhonis discipulus et antiquiori Scepticorum scholae inprimis addictus ⁴⁾, commorabatur Alexandriae apud Ptolemaeum Lagidam ⁵⁾, quem in expeditione Syriaca comitabatur. Haec sunt eius opera, quorum vestigia in veterum scriptis deprehenduntur:

- a) *Περὶ Ὑπερβορέων* (Schol. Apoll. Rhod. II. 675. Diod. II. 47. Schol. Pind. Ol. III. 28. Aeliani H. V. XI, 1).
- b) *Αἰγυπτιακά* (Diod. I, 46, 4. Plut. Is. et Os. c. 9).

¹⁾ Archaeol. XIV. 10. 2.

²⁾ l. l. pag. 177.

³⁾ Strabo eum nominat Teïcum (XIV, 1).

⁴⁾ Haas: de successionibus philosophorum scepticorum pag. 57. 58.

⁵⁾ Suidas s. v. Hecataeus; Iosephus c. Apion. I, 22.

c) *Περὶ τῆς Αἰγυπτίων φιλοσοφίας* (Diog. I, 10); quod opus Muellerus¹⁾ primam partem „historiarum Aegyptiarum“ censet.

Praeter eos quos enumeravimus libros, qui genuini aestimandi sunt, ad nos pervenerunt sub Hecataei nomine:

Βιβλία περὶ Ἰουδαίων καὶ Ἀβράμουν vel κατ' *Ἀβραμουν καὶ τοὺς Αἰγυπτίους*. Hunc libellum primus laudat Iosephus²⁾, qui sine ullo dubio id opus ab Hecataeo compositum aut ipse putat aut simulat; eundem librum affert Eusebius³⁾, qui et ipse Hecataeum *philosophum* auctorem huius de Iudaeis commentarioli iudicat. Origines vero, qui, licet fuerit Clementis discipulus, controversias, utrum Iudaeorum an Graecorum litterae sint antiquiores, missas fecit, primus videtur perspexisse, illud Hecataei opus ab Iudaeo esse confictum; nam contra Celsum disputans laudat Herennii Philonis commentationem de Iudaeis⁴⁾.

Clemens denique noster Hecataei nomen ter laudat⁵⁾ idque satis subobscurum. Sed eis ipsis tribus locis planius cognoscimus, quo modo fontibus suis usus sit. Clementi enim solus Pseudo-Hecataeus vel rectius eius excerpta, quae apud Iosephum et Alexandrum Polyhistorem exstabant, nota sunt: id quod colligitur ex strom. V, 14: „ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ τὰς ἱστορίας συνταξάμενος ἐν τῷ κατ' Ἀβραμουν καὶ τοὺς Αἰγυπτίους“; ubi affert

¹⁾ fragm. hist. Graec. vol. II. pag. 385.

²⁾ Contra Apion. I, 22. Antiqu. Iud. I, 8.

³⁾ P. E. lib. IX. c. 4. pag. 408: Ἑκαταῖος δὲ ὁ Ἀβδηρίτης, ἀνὴρ φιλόσοφος, ἅμα καὶ περὶ τὰς πράξεις (eo munere fungebatur Hecataeus apud Ptolemaeum) ἐκανώτατος ἰδίαν (sic!) βίβλον ἀναθεὶς τῇ περὶ Ἰουδαίων ἱστορίᾳ.

⁴⁾ „Ἑκαταίου τοῦ ἱστορικοῦ φέρεται Περὶ Ἰουδαίων βιβλίον, ἐν ᾧ προστίθεται μᾶλλον πῶς ὡς σοφῶ τῷ ἔθνει ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς καὶ Ἐρέννιον Φίλωνα ἐν τῷ Περὶ Ἰουδαίων συγγράματι πρῶτον μὲν ἀμφιβάλλειν, εἰ τοῦ ἱστορικοῦ ἐστὶ τὸ σύγγραμμα, δεύτερον δὲ λέγειν, ὅτι, εἴπερ ἐστὶν αὐτοῦ, εἰκὸς αὐτὸν συνηρπάσθαι ὑπὸ τῆς παρὰ Ἰουδαίοις πιθανότητος καὶ συγκαταθεθεῖσθαι αὐτῷ τῷ λόγῳ.

⁵⁾ Strom. II, 21. pag. 498: Ἑκαταῖος δὲ ἀντάρκειαν . . . sc. τὴν εὐδαιμονίαν εἶναι. lib. VI, 2. pag. 752. Μελησαγόρου ἐκλεψεν . . . καὶ Ἑκαταῖος. lib. V, 14. pag. 717. Ὁ μὲν Σοφοκλῆς, ὡς φησιν Ἑκαταῖος ὁ τὰς ἱστορίας συνταξάμενος ἐν τῷ κατ' Ἀβραμουν καὶ τοὺς Αἰγυπτίους, ἀντικρὺς ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐκβοᾷ.

versus Pseudo-Sophocleus¹⁾. Locum vero strom. II, 21. apud verum Hecataeum fuisse probabile est; tamen ex verborum contextu facile intellegitur tam illum locum quam totam recensionem variarum philosophorum de summo bono sententiarum ex isto famoso Iudaeorum „σοφίας“ laudatore hausta esse, quem, ut suam interpolationem naviter occuleret, aliquot genuina Hecataei fragmenta suo libro inseruisse verisimile est.

Maxime igitur mirum est eundem Hecataeum, quem Clémens modo Iudaeorum studiosissimum praedicaverat, strom. lib. VI, 2. pag. 752.²⁾ furti accusari: unde apparet Clementem hunc locum inconsiderate ex Aristobulo deprompsisse. Memoratu denique dignum est, quam scite et callide falsarius genuinis librorum titulis fictos supposuerit: Diodorus enim I, 46, 4. Hecataei *Αἰγυπτιακά* commemorat, Diogenes I, 10. libellum *Περὶ Αἰγυπτίων φιλοσοφίας*, Clemens vero laudat „*ἱστορίας κατ' Ἀβραμὸν καὶ τοὺς Αἰγυπτίους*“ ab eodem auctore compositas: unde liquet interpolatorem confudisse suum commenticium librum cum genuinis Aegyptiis historiis.

3. Ex Numenio, quem Clemens *semel* nominat, unum locum affert³⁾: „*Νουμίνιος δὲ ὁ Πυθαγόρειος (Πυθαγορικός) φιλόσοφος ἀντικρὺς γράφει τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωϋσῆς ἀντικίζων*.“ Huius philosophi libros Eusebius, qui multa ex eius scriptis excerpta nobis tradidit, hos enumerat⁴⁾:

a) *Περὶ τῶν Πλάτωνος ἀπορρήτων*. b) *Περὶ ἀγαθοῦ* lib. I. et II. c) *Περὶ τῆς τῶν Ἀκαδημικῶν πρὸς Πλάτωνα διαστάσεως*⁵⁾.

Nostro Numenio, natione verisimile Iudaeo⁶⁾, Philonis theo-

¹⁾ Hos versus aliosque, quibus Iudaei, iam Graecos unum deum agnovisse, comprobare student, infra examinabimus.

²⁾ *Μελησαγόρου δὲ ἐκλεψεῖν . . . καὶ Ἐκαταῖος*.

³⁾ Strom. I, 22 pag. 411.

⁴⁾ Praep. evangel. p. p. 410; 411; 527—29; 535; 536; 537—43; 650 sqq.; 727 sqq.; 819; 844.

⁵⁾ Quid *διάστασις* significet, vide apud Haas l. l. pag. 53.

⁶⁾ Thedinga (de Numenio philosopho Platónico) eum gentilem iudicat; cfr. Zeller l. l. III, 2. pag. 194—200. Maasius in biographis Graecis pag. 112 comprobare vult Numenium ex Favorino hausisse „nonnulla de Academicorum historia ex „omnigena historia“; si quid opus erat etiam de Stoicis“.

sophiae dedito, cum Numenio Apamensi, teste Diogene Laertio IX, 102. antiquioris Scepticorum disciplinae sectatore, nihil nisi nomen commune est ¹⁾). Ex eius studio, Platonis et Pythagorae placita conciliandi Graecorumque philosophiam ad Iudaeos revocandi, ex eo denique, quod identidem repetit illud „*Μωϋσῆς ἀττικίζων*“, sano certe iudicio suspicari licet complures Clementis locos ex sententiarum concordia ad illum philosophum referendos esse: inprimis strom. lib. I, 15; 25. lib. II, 18; 22. lib. V, 5. lib. VI, 3. Cum eius libri praeter paucas reliquias plane nobis interciderint, fieri non potest, ut singula persequamur.

4. *Eupolemi* nomen Clemens bis laudat in curiosa illa temporum ratione strom. l. I, 21. pag. 404: „*ἔτι δε καὶ Εὐπόλεμος ἐν τῇ ὁμοίᾳ πραγματείᾳ (τὰ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων) τὰ πάντα ἔτη κτλ.*“ et lib. I, 23. pag. 413, ubi libri titulum affert: *Εὐπόλεμος δὲ ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων τὸν Μωϋσῆν φησι πρῶτον σοφὸν γενέσθαι καὶ γραμματικὴν* ²⁾ *πρῶτον τοῖς Ἰουδαίοις παραδοῦναι, καὶ παρὰ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων.* Hoc igitur loco Eupolemus contendit Moysen litterarum formam invenisse, quas Phoenices et Graeci ab Iudaeis discerent ³⁾). Ex eis, quae hucusque de Eupolemo disputavimus, merito conici posse videtur, eum non solum revera Iudaeum fuisse, sed ipsum suo libro originem occultare omnino non studuisse.

At locus, qui exstat apud Iosephum ⁴⁾, contradicere videtur:

¹⁾ cfr. Suidam s. v. Numenius: „*Νουμήμιος Ἀπαμεὺς ἀπὸ Συρίας φιλόσοφος Πυθαγόρειος. Οὗτός ἐστιν ὁ τὴν τοῦ Πλάτωνος ἐξελέγξας διάνοιαν, ὡς ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν τὰ περὶ Θεοῦ καὶ κόσμου γενέσεως ἀποσυλήσασαν καὶ διὰ τοῦτο φησι „Τί γὰρ ἐστὶ Πλάτων ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων;*“

²⁾ Cobeto Eusebii scriptura „*γράμματα*“ — litterarum notae — magis arridet, quod *γραμματικὴ* disciplinam philologicam significet.

³⁾ Ita et ipse Clemens copiosa dissertatione strom. I, 16. pag. 361.—367. docere vult. „*οὐ μόνως φιλοσοφίας, ἀλλὰ καὶ πάσης σχεδὸν τέχνης εὗρεται βάρβαροι* (i. e. Ἰουδαῖοι). Cfr. Ios. c. Apion. l. I. c. I. Euseb. P. E. l. X. c. 5. Nonnulla Eupolemi fragmenta inveniuntur apud Eusebium l. l. IX, 17. 26. 30—34. Mueller l. l. III. pag. 206 sqq. Freudenthal l. l. pag. 82, 117.

⁴⁾ Contra Apion. I, 23.

„Ὁ μὲντοι Φαληρεὺς Δημήτριος καὶ Φίλων ὁ πρεσβύτερος καὶ Εὐπόλεμος οὐ πολὺ τῆς ἀληθείας διήμαρτον· οἷς συγγινώσκειν ἄξιον· οὐ γὰρ ἐντὶν αὐτοῖς μετὰ πάσης ἀκριβείας τοῖς ἡμετέροις γράμμασι παρακολουθεῖν.“ Unde sequitur Eupoleum se Graecum simulasse, ut eo tutius quasi testis incorruptus Iudaeorum famam longe lateque propagare posset; ipsum igitur Clementem aequae atque Iosephum nostrum falsarium opinatos esse Graecum, concludimus ex Stromatum libro primo, cap. 21, pag. 404, ubi Eupoleum laudat una cum Demetrio et Philone „τῷ πρεσβυτέρῳ“.

Restat nobis praeter eos quos hactenus tractavimus scriptores duos alios accuratius examinare — Artapanum et Philonem —, in quibus diiudicandis difficilior erit iam ex solo nomine pro certo statuere, utrum fictum sit an genuinum. Nos quidem Valckenarium ¹⁾ secuti haec iudicamus: „Fuerunt omnes religione Iudaei, seu his nominibus inter populares fuerint noti seu nomina mentiti.“

5. *Artapanum* quidem Clemens laudat nominatim Strom. I, 23. pag. 413: „Ἀρτάπανος γοῦν ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι κεῖται.“ Cuius fragmenta supersunt apud Eusebium ²⁾; vel ex his paucis reliquiis intellegimus et ipsum Iudaeorum famae augendae studuisse. Freudenthal recte ex argumentorum ratione conicit ³⁾, eum nobile scriptoris Graeci nomen sibi vindicasse.

6. Atque de *Philone historico* aliquid certi contendere aequae difficile est. Quattuor enim auctores Clemens affert, qui *Philonis* nomine notantur. Primum quidem *Philonem Iudaeum*, quem *sexies* quidem *nominatim* commemorat, *sexcenties* vero nomine suppresso compilat; deinde *Philonem Pythagoreum*, quem cum Nourrio ⁴⁾ conspirantes propter laudem ⁵⁾, quae ei tribuitur, eundem ac *Philonem Iudaeum* ducimus; Strom.

¹⁾ l. l. p. 18.

²⁾ P. E. IX. 18. 23. 27.

³⁾ l. l. 143 sqq.

⁴⁾ Dissert. II. pag. 323.

⁵⁾ Strom. II, 19 pag. 482: „ὥς φησιν ὁ Πυθαγόρειος Φίλων τὰ Μουσέως ἐξηγούμενος.“

lib. IV, 19, pag. 619. Clemens haec profert: „ὥς φησι Φίλων ὁ διαλεκτικὸς ἐν τῷ Μενεξένῳ.“ fortasse idem philosophus, quo Carneades usus erat magistro. Libro denique primo stromatum cap. XXI, pag. 404. quartum *Philonem* excitat testem: „Φίλων δὲ καὶ αὐτὸς ἀνέγραψε τοὺς βασιλεῖς τοὺς Ἰουδαίους διαφώνως τῷ Δημητρίῳ· ἔτι δὲ καὶ Εὐπόλεμος κτλ.“ Atqui *Philonem Iudaeum* theosophum regum historiam non composuisse pro certo affirmare possumus; alter igitur eius nominis rerum scriptor nobis statuendus erit. Et eum ipsum Graecum se haberi voluisse facile colligitur et ex eo, quem supra laudavimus loco ¹⁾, et ex verborum contextu, quo Clemens Demetrii, Eupolemi, *Philonis* nomina profert. Quo quidem tempore floruerit nescimus; tamen nisi ordo, quo Iosephus et Clemens tres illos auctores laudant, fortuito fiebat, satis liquet *Philonem* historicum inter Pseudo-Demetrii ²⁾ et Eupolemi ³⁾ tempora scripsisse.

Philonis nomine adducimur, ut occasione oblata et ipsius *Philonis Alexandrini* vitam et opera breviter attingamus. Erat ille specimen viri sane probi, Iudaei Graecorum litteris eruditissimi rerumque veterum valde periti; erat prudens, laboriosus neque more suae gentis in historia, si conferatur ad alios, fabulator. Immo enixe studebat divinas Iudaeorum opiniones ac morum doctrinam et litterarum elegantia et philosophiae subtilitate Graecis probabiliores reddere ⁴⁾; qua in re libros sacros immutata oratione allegorice interpretatus illam explicandi artem Aristobuli opera ortam excoluit ⁵⁾. Clemens igitur noster

¹⁾ Iosephus contra Apionem I, 23.

²⁾ Demetrius scripsit sub auspiciis Ptolemaei III. Euergetis aut Ptolemaei IV. Philopatoris. Cfr. Freudenthal l. l. pag. 35.

³⁾ Eupolemi 150—100 floruisse probabile est. Cfr. Freudenthal l. l. pag. 82.

⁴⁾ Cfr. Gfroerer: Philo und die alexandrinische Theosophie.

⁵⁾ Neque tamen allegoricae eiusmodi explanationes referendae sunt ad Iudaeorum studium Graecorum Hebraeorumque religionem in unum confundendi — ut *Philonis* temporibus suspicari licet — at contra natae sunt ex Iudaeorum ac proinde Christianorum consiliis, ut vulgares opiniones deos sub hominis forma sibi fingendi (anthropomorphismus) ludibrio ex-

Philonis libros sedulo inspexit, diligentius vero „sicut eius est mos“ transcripsit: inprimis secundo stromatum libro exhibet copiosa Philonis excerpta. Eidem Philoni Alexandrinus noster, cum linguae Hebraicae fuerit imperitus, multa debet in nominibus propriis interpretandis ¹⁾. Quod denique in philosophia Clemens Platonis placita est apprime secutus, maximam partem redundat ad Philonem, de quo praedicabatur: „ἡ Πλάτων Φιλωνίζει ἢ Φίλων Πλατωνίζει.“

7. Pervenimus nunc ad eam huius nostrae de scriptoribus dissertationis partem, quae spinis maxime abundat; fuerit sane difficile de aliis quos tractavimus auctoribus aliquid certi statuere, de *Demetrio*, quem examinare nos accingimus, plane difficillimum erit verum eruere.

Cum *Demetrii Phalerei* vita et ingenium neminem lateat litteratum, labore copiosius de eis rebus disserendi supersedere posse mihi videor ²⁾.

ponerent: id quod satis liquet ex Tatiano adv. Graecos §. 21: „Οὐ γὰρ μωραίνουμεν, ἄνδρες Ἕλληνες, οὐδὲ λήρους ἀπαγγέλλομεν, θεὸν ἐν ἀρθρώπου μορφῇ γεγονέναι καταγγέλλοντες. Οἱ λοιδοροῦντες ἡμᾶς συγκρίνατε τοὺς μὴ θοὺς ὑμῶν τοῖς ἡμετέροις διηγήμασιν. . . . τὴν γὰρ ἡμετέραν περὶ τοῦ θεοῦ κατάληψιν οὐδὲ συγκρίνειν ὅσιον τοῖς εἰς ὕλην καὶ βόρβορον κυλινδουμένοις.“

¹⁾ Quantum Clemens pendeat a Philone, demonstrat Carolus Siegfried in libro: Philo von Alexandrien. Jena 1875. pag. 141. sqq. Ita ad Philonem revocanda est interpretatio nominis ΠΨΜ, falsa quidem, neque tamen absurda cfr. Gesenii vocabul. s. v. ΠΨΜ. Quam vero ineptas et ridiculas derivationes Clemens proferat, si eas aliunde repetit, huic rei unus locus Protrept. cap. II. pag. 12. sit documento: Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι, ὠμοφαγία τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες. . . . ἀντεστεμμένοι τοῖς ὄφρεσιν ἐπολολίζοντες Εὐτὴν ἐκείνην, δι' ἣν ἡ πλάνη παρηκολούθησε. καὶ σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφρις ἐστὶ τετελεσμένος. ἀντίκα γοῦν κατὰ τὴν ἀκριβῆ (1?) τῶν Ἑβραίων φωνήν, τὸ ὄνομα τὸ Εὐτὴ δασυνόμενον ἐρμηνεύεται ὄφρις ἢ θήλεια. En habes similia exempla „μυστήρια = μυθήρια ἢ ἀπὸ τοῦ μύσους. ὄργια ἀπὸ τῆς ὀργῆς“ fortasse lepidam illam narrationem debet auctori huius loci: „... τοῦτο τὸ τέκνον Μώϋσον ὀνομάσαι, ὑπὸ δὲ τῶν Ἑλλήνων. . . Μουσαῖον. . . γενέσθαι δὲ ὁρφέως διδάσκαλον.“ Artapani fragm. apud Eusebium IX. 26.

²⁾ Vita ap. Diog. Laert. V. 5. Cfr. Ostermann: Diogenes Laertius, 1847/57.

Quam quaestionem movimus, in ea solvenda exordium nobis est ex hoc Diogenis loco ¹⁾: „φησὶ δ' αὐτὸν Ἑρμιππος μετὰ τὸν Κασάνδρον θάνατον φοβηθέντα Ἀντίγονον, παρὰ Πτολεμαῖον ἐλθεῖν τὸν Σωτηρᾶ· καὶ ἐχρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα συμβουλευεῖν τῷ Πτολεμαίῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις“ ex quo loco profectus Aristeeus comminiscitur Demetrium, bibliothecae Alexandrinae praefectum ²⁾, Ptolemaeo ³⁾ auctorem fuisse sacrae scripturae in linguam Graecam vertendae ⁴⁾.

Ex Demetrio enim rex quaerit, cur nemo usque tum Graecorum legum divinarum mentionem faciat. Aristeeus igitur fingit Demetrium commentarios composuisse, quibus eum cum alia tum haec disserentem inducit: „Πόρρω γεγόνασιν οὔτε συγγραφεῖς καὶ ποιηταὶ καὶ τὸ τῶν ἱστορικῶν πλῆθος τῆς ἐπιμνήσεων τῶν προειρημένων βιβλίων διὰ τὸ ἀγνῆν τινα καὶ σεμνὴν εἶναι τὴν ἐν αὐτοῖς θεωρίαν, ὥς φησιν Ἐκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης ἀκηκοέναι Θεοπόμπου διότι μέλλων τινὰ τῶν προσηρμηνευμένων ἐπισφαλέστερον ἐκ τοῦ νόμου προσιστορεῖν ταραχὴν λάβοι τῆς διανοίας πλεῖον ἡμερῶν τριάκοντα — καὶ παρὰ Θεοδέκτου δὲ τοῦ τῶν τραγωδιῶν ποιητοῦ μετέλαβον ἐγὼ διότι παραφέρειν μέλλων

¹⁾ I. I. V, 5. 78.

²⁾ Valckenaer I. I. pag. 156. „equidem non arbitror Demetrium tempore Ptolemaei Lagi bibliothecae fuisse regiae custodem proprie sic dictum, quia Zenodotus tum erat neque a scriptoribus antiquis plures isti bibliothecae praefectos commemorantibus, hoc exulanti patria Demetrio munus usquam contribuitur.“

³⁾ De difficultatibus, quae ex temporum ratione oriuntur cfr. Valckenaer I. I. pag. 52 sqq.

⁴⁾ Idem contendit Aristobulus apud Eusebium P. E. XIII. 12. pag. 664: „ἡ δ' ὅλη ἐρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως Δημητρίου τοῦ Φαληρέως πραγματευσαμένον.“ Valckenarius probabiliter exponit Demetrium, cum celeberrimus illius aetatis philosophus fuisset, — teste Aeliano V. H. III. 17: ἐν Αἰγύπτῳ νομοθεσίας ἄρχας, — Alexandriae commoratum ibique doctis Iudaeis familiariter usum in litteras sacras studia convertisse. Praeterea conferendum Hodii (contra historiam Aristeei) iudicium: „potuisse illi sc. Ptolemaeo auctorem esse, ut in Graecorum sermonem monumenta sacra Hebraeorum converti et in bibliotheca reponi praeciperet: sed non tantum apud me valet Aristobuli istius auctoritas, ut factum id fuisse concedam.“

τινῶν ἀναγεγραμμένων ἐν τῇ βίβλῳ πρὸς τι δρᾶμα τὰς ὄψεις ἀπεγλανκώθη.“

Unde intellegimus, quanto studio Iudaei causas suae genti honorificas excogitaverint, cur doctissima Graecorum gens Hebraeorum sapientiam neglexerit. Totam illam narrationem esse fictam facile evincitur ex erroribus, qui contra historiae fidem offendunt.

Nam Demetrium Phalereum Theopompi auditorem non fuisse ex temporum ratione plane patet; qui cum Isocratem audiebat, Demetrius annos pueriles nondum excesserat; postea vero ille „μισαθῆναιος“ Athenas nunquam redierat: Theodectes autem iam octo annis antea quam Demetrius prodiit defunctus erat¹⁾. Dicendi denique genere ille Pseudo-Demetrius recentiore illius aetatis linguam atque adeo Latinam aemulatur. Confer, quaeso, quam non Cobeti²⁾ iudicium: „τὰ τῷ Ἀθηναίῳ Δημητρίῳ εἰρημένα καὶ ἐπεσταλμένα οὐ μόνον Ἀττικῆς χάριτος οὐδὲν ἀπόζει καὶ οὐδὲν ὅλως ἀττικὸν ἐμφαίνει, ἀλλὰ καὶ ἰδιωτικῶς τὰ πάντα πέφρασται καὶ ἡμιβαρβάρως“ congruat cum eis, quae Diogenes³⁾ de Demetrii Phalerii elocutione sentit: „χαρακτὴρ δὲ φιλόσοφος, εὐτονία ῥητορικῇ καὶ δυνάμει κεκραμένος.“

At dixerit quispiam: τί ταῦτα πρὸς Διόνυσον; Hanc igitur quaestionem movimus, quod is ipse Demetrius Clementi nostro male illusit. Demetrium quidem laudat in cohort. ad gentes c. IV, pag. 41: „Δημήτριος ἐν δευτέρῳ τῶν Ἀργολικῶν et libro primo stromatum c. 21, pag. 104: „Δημήτριος δὲ φησιν ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων“: capite denique XXII. eiusdem libri pag. 122. haec affert: „ἐρμηνευθῆναι δὲ τὰς γραφὰς, τὰς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικὰς, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶττάν φασιν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λαγοῦ ἢ, ὥς τινες, ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος, τὴν μεγίστην

¹⁾ Cfr. Maercker: de Theodectis vita et scriptis. pag. 29.

²⁾ I. I. ὁ Δημήτριος οὐδὲν βέλτιον ἐλληνίζει ἢ οἱ ἐπιτυχόντες ἐκ τοῦ πολλοῦ συρφετοῦ τῶν Ἀλεξανδρέων v. g. λίαν ἐξεθαύμασε · vocabulo λίαν aliquid venit in vitium, Demetrius rem omnino contrariam scripturus erat; μετέλαβον Lat. accepi pro ἐπυθόμην · ταραχὴν λαμβάνειν pro λαμβάνει με ταραχή κτλ.

³⁾ I. I. V, 82.

φιλοτιμίαν εἰς τοῦτο προσενεγκαμένον Δημητρίου τοῦ Φα-
ληρέως, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῶς πραγματευσαμένον·“
unde liquet, Clementem utrumque librum eidem auctori tribuisse.
Quae cum ita sint, a vero non multum aberrabimus opinati,
Demetrium, Atheniensem philosophum, Argolica ¹⁾ quidem com-
posuisse, librum vero περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων Demetrio
illi abiudicandum et alii eiusdem nominis historico imputandum
esse: Clemens autem aequae atque Iosephus philosophum cum
Iudaeo historico confundebat. Ceterum auctoritate ficta et
vetustate illius adulterini libri et nomine Demetrii celeberrimo vel
peritissimi litterarum decepti sunt veluti Aristeeas, qui deinde
Aristobulo aliisque praesto fuit.

8. Iam ineunte hac relatione *Aristobulum*, Iudaeum philo-
sophum, primum Clementis nostri fontem esse suspicio-
nem movimus: de quo pauca disputaturi sumus. Ac primum
quidem vitam huius scriptoris, quam cum alii viri docti tum
Valckenarius ²⁾ diligentissime composuerunt, breviter tantum
examinabimus. Aristobulum Alexandriae Ptolemaei Philometoris
(181—145 a. Ch.) temporibus floruisse adminiculis haud imbe-
cillis fulcitur ³⁾. Is composuit commentarios in quinque Moysis
libros, quorum haud exigua fragmenta exstant apud Eusebium ⁴⁾;

¹⁾ Diogenes quidem V. 5. 80. 81. inter Demetrii opera Ἀργολικά non affert; tamen dubium est, num Laërtius integrum librorum indicem exhibeat. Nourrius in dissertatione altera in Clementem pag. 319. Argolica tribuit Demetrio Eretriensi, de quo Diogenes praedicat (V. 5. 85): „ποιικιλογράφος ἄνθρωπος καὶ ἱστορικὰ καὶ ἑρμηνευτικὰ πεποίηκε βιβλία.“ Revera verisimile est Clementem neutrum inspexisse, sed illud quartum Protreptici caput apud Iudaeum scriptorem invenisse. Cfr. Freudenthal l. l. p. p. 35—82.

²⁾ Diatribe de Aristobulo Iudaeo. Valckenarii iudicia multis in rebus emendat et corrigit Binde: Aristobulische Studien I. et II. 1869/70. Cfr. Freudenthal l. l. pag. 164 sqq; Ioël: Blicke in die Religionsgeschichte zu Anfang des II. Jahrh. I. Exc. Aristobul der Peripatetiker. 1880. Grimm: Apokryphen IV. pag. 37.

³⁾ Clem. strom. I. pag. 242. Euseb. P. E. XIII. 12; IX. 6. Difficultates, quae oriuntur ex Clementis loco strom. V. pag. 706. removit Valckenarius l. l. p. p. 22; 27; 29.

⁴⁾ P. E. VII. 13; 14. VIII. 6; 10. IX. 6. XIII. 12.

eadem reliquiae Clementis scriptis continentur ¹⁾, quas Valckenaer primus Aristobuleas cognovit ²⁾.

Solus Hodius de Aristobuli persona dubitavit, cum Clemens primus eius nomen laudet, commentariosque secundo p. Ch. n. saeculo fictos esse contendit: quam opinionem firmis argumentis confutat Valckenarius ³⁾.

Aristobuli libri ad unum omnes temporum iniuria inter-ciderunt; ad stromatum librum primum c. 22. pag. 410. in codice Laurentiano librarius quidam XV. vel XVI. saeculi adnotavit: „*Ἀριστοβούλου βίβλος αὕτη ἡ πρὸς Φιλομήτορά ἐστιν εἰς Πάτμον, ἣν ἔγωγε οἶδα.*“ Verisimile est eum Eusebii librum, cuius in margine *ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΣ* scriptum erat, vidisse.

Iudaeus ille Alexandrinus commentarios, quibus probare conatus erat „nihil Graecos habere, cur suis adeo gloriarentur, philosophis Pythagora, Socrate, Platone vel poëtis Orpheo, Lino, Homero, Hesiodo ceterisque: etenim si quid haberent eximium prae ceteris, id ipsos derivasse de fonte sacro, ex libris sui legislatoris Moysis“ ⁴⁾, misit ad regem Ptolemaeum Philometorem ⁵⁾. Quam sententiam ut probabiliorem redderet, is primus allegorica interpretatione utebatur non solum in explanandis litteris sacris, sed etiam in Graecorum poetis et philosophis explicandis ⁶⁾. Idem auctor est illius absurdae opinionis Graecos ab Iudaeis in litteris multa surripuisse ⁷⁾: id ut comprobaret, demendo mutandoque interpolat poëtas, philosophorum locos immutata oratione interpretatur, ut eorum consensum cum libris Iudaeorum sacris demonstret: ineptam denique tuetur sententiam, iam Platonis aetate biblia in sermonem Graecum translata esse, quae interpretatio illi philosopho praesto fuerit ⁸⁾.

¹⁾ strom. p. p. 256; 755; 756; 713; 738—52; 810; 813.

²⁾ l. l. p. p. 9; 11; 66; 71; 12; 89.

³⁾ l. l. pag. 22.

⁴⁾ Valcken. l. l. pag. 48.

⁵⁾ Dedicationis fragm. apud Euseb. XIII. 12.

⁶⁾ Valcken. l. l. pag. 69. Euseb. P. E. VIII. 376. 377; Clem. pag. 755. 56.

⁷⁾ „ „ „ „ 65. 66. Euseb. P. E. VIII. 376; XIII. 664. 666.

⁸⁾ „ „ „ „ 47. 48 „ „ pag. 663. 664.

Ita quidem interpolando corrumpit Homeri atque Hesiodi carmina, Lino supponit adulterinos versus ¹⁾, mutat Arati *Φαινόμενα* ²⁾, contaminat Orphei oracula ³⁾: quamvis sit dubium, num Orphicorum interpolatio eidem Aristobulo sit imputanda ⁴⁾. Nos equidem, ne iniquius in eum consulere videamur idem, quod iam Jost ⁵⁾, Herzfeld ⁶⁾, Preller ⁷⁾ tulerunt iudicium, suspicamur ex lectionum varietate ⁸⁾ tam apud Iustinum in paraenisi ad Graecos pag. 18. et in libro de monarchia pag. 37. et 38, quam apud Clementem Protreptici cap. 7. et stromatum lib. V. 12. pag. 695 nec non ex Aristobuli loco apud Eusebium P. E. XIII. 12 pag. 664, „dass schon vor Einrückung dieser Stelle in den aristobulischen Commentar eine verschiedene Rezension vorlag, deren mosaische Infizierung Aristobul nicht verschuldet hat. Dies wird für uns überzeugend, wenn wir an die unter dem ehrwürdigen Namen des Orpheus wirkende apokryphische Kollektiv-Autorität denken, welche eine theologische Litteratur mystischer Tendenz begründete und namentlich in den Zeiten der hellenistischen Litteratur mit grosser Produktivität eine ganze Reihe von Schriften mit spezifisch orphischem Grundton ins Publikum brachte“ ⁹⁾.

Clemens igitur, ut redeamus unde profecti sumus, Aristob-

¹⁾ Valcken. l. l. pag. 8. 9. Euseb. P. E. XIII. 677.

²⁾ „ „ „ „ 86. „ „ XIII. 666.

³⁾ „ „ „ „ 11—16. 73. Euseb. P. E. XIII. 664.

⁴⁾ Maasius l. l. pag. 123. argumentis satis firmis comprobatur Clementi etiam „oraculorum syllogam non-christianam“ notam fuisse, ex qua et ipse index Hesychianus haustus esse videatur: inde merito colligit, Clementem atque Hesychium Favorini παντοδαπὴν ἔλκην fontem adhibuisse.

⁵⁾ Geschichte des Judentums I. S. 369.

⁶⁾ Geschichte des Judentums. III. Anhang.

⁷⁾ Preller in Pauly's Real-Encyclopaedie V. 992 sqq.

⁸⁾ Apud Iustinum deest locus, qui spectat ad Abraham, apud Clementem versus ad Moysen pertinentes.

⁹⁾ Otto ad Iustini locum 18B adnotat: „Lobeckio iudice (Aglaophamus I. 438 ss.) fragmentum Iustinianum omnium brevissimum primitivam huius carminis formam repraesentat; novae interpolationis specimen praebet exemplum Clementis, quod Iustiniano copiosius est, Aristobuleo adstrictius; novissimae auctor est Aristobulus homo sive Iudaeus sive Christianus (!) Clementis certe temporibus posterior (!).“

bulum quater tantum nominat idque quasi verbis tectis: atqui Clementinis libris copiosa Aristobuli fragmenta suppresso auctoris nomine inserta esse supra demonstravimus, quae ex Eusebio Aristobulea cognoscuntur; itaque contendere non dubitamus, pleraque quae in Clementis scriptis ad Graecorum litteras, artes, antiquitates, philosophiam referuntur, deberi huic eruditissimo Iudaeo, qui priorum falsariorum libros diligenter excusserat atque compilaverat.

9. Exeunte nostra relatione restat nobis, ut de *Alexandro Polyhistore*, quem Clemens saepenumero adhibere solet ¹⁾ quid sentiamus, paucis exponamus; qua in re vitam Corneli Alexandri Polyhistoris ²⁾, eius libros historicos, periegeticos, grammaticos, philosophicos missos facimus, solis „περὶ Ἰουδαίων“ commentariis, quibus „luculentissime sedulitatem excerptoris ostendit“ ³⁾, contenti sumus. Ac primum quidem in ea re diiudicanda quaeritur, utrum illi *de Iudaeis* commentarii Alexandro Polyhistori abiudicandi et Iudaeo cuidam falsario nobile nomen mentito tribuendi sint, an referendi in numerum librorum periegeticorum, quod litterarum genus Alexandrinorum studiis mirum quantum respondebat.

Muellerus⁴⁾ et Freudenthal⁵⁾ illos commentarios ab Alexandro

¹⁾ „Τὰ δὲ πάγκαλα ταῦτα πάντα ὁ Κλήμης μεταγέγραπεν ἐκ τῶν τοῦ πολυῖστορος Ἀλεξάνδρου. Οὗτος οὖν ἐστὶν ὁ Ἀλέξανδρος ὁ τοὺς τε Εὐπολέμους καὶ τοὺς Ἀρταπάνους καὶ τοὺς Δημητρίους καὶ τοὺς Ἀριστείας οὐκ οἶδ' ὅπόθεν ἀνορύξας καὶ τοῦτοις προσθεὶς τὰ δίστηνα ποιήματα τοῦ τε Φίλωνος καὶ Θεοδότου καὶ τοὺς τοῦ Ἐζεκιήλου καταγελάστους ἱάμβους“. Cobet *A. E.* pag. 170. cfr. p. p. 462. 463.

²⁾ Suet. de ill. gram. c. 20: „Hyginus . . . imitatus est Cornelium Alexandrum, grammaticum Graecum, quem propter antiquitatis notitiam *Polyhistorem* multi, quidam *Historiam* vocabant.“ Eius vitam, scripta, fragmenta vid. apud Muellerum: fragm. hist. Graec. III. pag. 206—244.

³⁾ Mueller l. l. p. 207: „liber *De Iudaeis*, qui totus, ut videtur, ex centonibus auctorum diversissimorum (Aristeae, Artapani, Cleodemi, Demetrii, Eupolemi, Molonis, Timocharis, Theophili, Philonis poëtae, Theodoti, Ezechielis) consarcinatus erat.“

⁴⁾ Mueller l. l. pag. 209.

⁵⁾ Alexander Polyhistor S. 182: „Der Sammler hat Juden und Heiden, Palästinenser und Samaritaner, Hellenisten und Hellenen zusammengeführt und so Gegensätze vereinigt, die nur für einen Heiden unvereinbar waren;

compositos esse comprobare volunt. Nos contra respondemus mirum utique esse, si auctor commentariorum, qui sine ira et studio illud litterarum genus exercebat, ea ipsa adulterina Iudaeis nimis aequa ¹⁾, Graecis vero iniqua ²⁾, testimonia collegit; etiam magis profecto est mirum hominem Graecum gloriosas istas Iudaeorum ampullas, quae nimirum suam ipsius gentem religionemque tam vehementer detrectabant, promptissimo animo proferre. Memoratu denique dignum est, quanto studio Iosephus, Clemens, Eusebius, quorum scribendi rationem satis iam perspeximus, illos de Iudaeis commentarios adhibuerint. Quibus rebus circumspectis omnibus rationibusque subductis adducor, ut Rumpfio assentiar dicenti ³⁾: „Eiusmodi commentarios de rebus Iudaeorum in unum redigere, id quod libro nomen Polyhistoris prae se ferente factum, Iudaei neque Graeci hominis est. Neque mirum, compilantem istum hominem historiae suae Alexandri Polyhistoris nomen inscripsisse, quippe qui diligentissimus antiquitatis mythorumque Asiae minoris et Syriae investigator eo tempore haberetur.“

Absoluta hac de scriptoribus relatione, singulis excursibus, quantum ex libris servatis iudicare licet, illustrabimus, nos rectissimam de Clementis fontibus coniecturam fecisse.

wir haben es mit einem Manne zu thun, der ohne bestimmte Absicht, ohne Interesse für den Inhalt seiner Texte auf gut Glück zusammenrafft.“

¹⁾ Omisit e. g. fontes quos secutus Claudius Iolaus Iudaeos ab Graecis ortos esse tradidit.

²⁾ Veluti de furtis litterariis Graecorum; Graecos ab Iudaeis esse mutuatos.

³⁾ Commentatio de Alexandri Polyhistoris vita et scriptis. Heidelbergae. 1845. pag. 25.

IV.

De furtis litterariis Graecorum.

Suspicionem, quam supra iam excitavimus, Clementem in rebus litterariis pendere ab Iudaeis Alexandrinis, omnino non esse temerariam, falsarios illos ipsos perstringentes, pro certo nobis persuasimus; quae vero in universum coniecimus ex argumentorum consensu, ex verborum contextu in voluminibus laudandis aliisque ex gravissimis causis, ea in posteriore hac dissertationis nostrae parte singulis excursibus quos vocant pertractaturi etiam probabiliora reddemus. Ut autem auctoris nostri doctrina quam maxime illustretur, tres locos Clementinos examinabimus¹⁾, quibus ad fontes revocatis comparisonem inter Clementem et Diogenem adiungemus; eos ipsos tres locos selegimus, quod in prooemio nobis proposuimus, inprimis *de doctrina quam exhibet Clemens ad litterarum Graecarum memoriam explicandam* pro virili parte disserere.²⁾

Hac in quaestione id unum tenendum est, Clementem libris suis nihil aliud spectasse nisi ut Graecos, quidquid eximii haberent in philosophia³⁾, litteris, artibus⁴⁾, ab Iudaeis esse mutuatos demonstraret. Itaque proficiscitur ex his verbis⁵⁾: „πάντες οἱ πρὸ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου κλέπται εἰσὶ καὶ λησταί.“ Id ut probabilius redderet, ineptis rationibus evincere studet⁶⁾ Graecos, cum natura ad furta litteraria propensiores essent, a

¹⁾ Strom. VI, 2 de furtis litterariis; strom. V, 14 pag 717: de sacro numero septenario; strom. V, 14 pag. 713: ubi comprobare studet, Graecos unum deum agnovisse.

²⁾ Ad enucleandos fontes haud scio an aptiores sint c. c. V, VI, VII. cohortationis ad gentes; strom. lib. I, c. c. 2, 4, 13, 14, 15, 16, 19, 21, 22, 25, 29; lib. II, c. c. 18, 21, 22; lib. V, c. c. 5, 8, 11, 13; lib. VI, c. c. 4, 5; lib. VIII, c. c. 3, 5, 6, 7, 8, 9.

³⁾ Strom. I, 15.

⁴⁾ Strom. I, 16.

⁵⁾ Strom. I, 17.

⁶⁾ Strom. VI, 2. pag. 738—752.

se invicem esse furatos¹⁾: „εἰ γὰρ, inquit²⁾, μηδὲ ἑαυτῶν, σχολῇ γ' ἂν τῶν ἡμετέρων ἀφέξονται“: vocabulo igitur „τῶν ἡμετέρων“, quod nimis inconsiderate aut temere profert, Clemens fontem unde hausit prodidit — *Iudaeum* dico³⁾.

Ad hanc rem comprobendam laudat satis multas poëtarum sententias vel proverbia — saepenumero ne consimilia quidem — ab aliis aliter expressa: en eius modi exempla:

pag. 739: Ἀρχιλόχου τε ὁμοίως εἰρηκότος·

„ἄλλ' ἄλλος ἄλλω καρδίην ἰαίνεται.“

παρὰ τὸ Ὀμηρικόν·

„ἄλλος γὰρ ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτρέπεται ἔργοις.“

Εὐριπίδης ἐν τῷ Οἰνεΐ φησιν·

„ἄλλ' ἄλλος ἄλλοις μᾶλλον ἥδεται τρόποις.“

pag. 740: ἔτι Εὐριπίδου μὲν ἐν τῇ Μηδεΐᾳ εἰπόντος·

„κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει.“

Σοφοκλῆς ἐν τῷ Αἴαντι τῷ μαστιγοφόρῳ ἐκεῖνό φησι τὴν ἰαμβεῖον·

„ἐχθρῶν δ' ἄδωρα δῶρα κοῦκ ὀνήσιμα.“

pag. 750: Ὀμήρου πάλιν ποιήσαντος·

„μοῖραν δ' οὐ τίνα φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.“

Ὁ δὲ Ἀρχίνος λέγει·

„πᾶσι μὲν ἀνθρώποις ὀφείλεται ἀποθανεῖν ἢ πρότερον ἢ εἰς ὕστερον.“

Ὁ τε Δημοσθένης·

„πᾶσι μὲν γὰρ ἀνθρώποις τέλος τοῦ βίου θάνατος, καὶ ἐν οἰκίσκῳ τις αὐτὸν καθείρξας τηρεῖ.“

Etiam ex magis vulgaribus cantilenis argumenta furti literarii ducit veluti ex percontrita ista voce: „fortes fortuna iuvat“;

pag. 742: Σοφοκλέους δὲ ἐν Μίνῳ·

„οὐκ ἔστι τοῖς μὴ δρῶσι σύμμαχος τύχη.“

¹⁾ l. l. „φέρε μάρτυρας τῆς κλοπῆς αὐτοὺς καθ' ἑαυτῶν παραστήσωμεν τοὺς Ἕλληνας.“

²⁾ l. l. „Οἱ γὰρ τὰ οἰκεῖα οὕτως ἀντικρὺ παρ' ἀλλήλων ὑφαιρούμενοι βεβαιούσι μὲν τὸ κλέπται εἶναι.“

³⁾ Cfr. Meier: opuscula Acad. II. pag. 317 sqq.

πάλιν Εὐριπίδου ἐν Τημένῳ·

„τῷ γὰρ ποιοῦντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει.“

Et ipsum decantatum illud pueris atque puellis: „omnia dies profert“ Euripidem Sophocli surripuisse censet Clemens:

καὶ μὴν Εὐριπίδου μὲν ἐξ Ἀλεξάνδρου·

„χρόνος δὲ δείξει σ' ὃ τεκμηρίῳ μαθὼν

ἢ χρηστὸν ὄντα γνωσόμεσθα σ' ἢ κακόν.“

Σοφοκλέους δὲ ἐξ Ἰππόνου·

„πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν· ὥς ὁ πάνθ' ὁρῶν

καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτίσσει χρόνος“¹⁾.

Quid plura? Ipse, quaeso, lege: mox quam absurdum sit hoc furti crimen intellexeris! Sed ne iniquius in eum consulere videamur, libenter concedimus eum semel rectum vidisse; comparat enim istos Pseudo-Sophocleos versus (Antig. 911. 12)²⁾ cum simili Herodoti loco (III. 119). Alia exempla sumit ex Homeri atque Hesiodi imitationibus p. p. 738, 741, 742, 744, 749. Quamvis inepta ista poëtarum Graecorum recensio nobis hodie videatur, tamen ea singuli historiae litterariae interpretes male decepti sunt; ita quidem sagacissimus criticus Meinekius, qui in fabularum dispositione a Clemente deductus iterum atque iterum in errores incidit³⁾.

Postquam poëtarum fraudes satis perstrinxit — τὸ κλεπτικὸν διελέγξας αὐτῶν εἶδος —, ad philosophos et historicos recensendos se parat; sed quam insulsis argumentis furti crimen adornet, uno exemplo illustretur⁴⁾: „παρὰ Πυθαγόρου δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἀθάνατον εἶναι Πλάτων ἔσπακεν, οἱ δὲ παρ' Αἰγυπτίων.“ (!)

¹⁾ Addi potuerunt Sophoclis versus (Ajax 645. 46): „ἀπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος

φαίνει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.“

²⁾ pag. 748. Σοφοκλέους τε ἐν Ἀντιγόῃ ποιήσαντος· „μητρὸς τ' ἐν Αἰδῶν καὶ πατρὸς τετυγμένων,

οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ,“

Ἡρόδοτος λέγει· „Μητρὸς καὶ πατρὸς οὐκ ἔτ' ὄντων, ἀδελφὸν ἄλλον οὐχ ἔγω.“ (Apud Herodotum exstat . . . πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκ ἔτι μεν ζώντων, ἀδελφὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπῳ γένοιτο). Cfr. Dindorfii (Soph. Antig.) notam ad vers. 900. ed. Oxon.

³⁾ Complures errores emendavit Cobetus l. l. pag. 67 sqq.

⁴⁾ l. l. pag. 752.

Sed haec hactenus! Maioris momenti est examinare, unde totam illam farraginem Clemens repetiverit. Iam Ruhnkenius¹⁾ rectum suspicatus est: „Vetustissimus grammaticus libro de scriptorum furtis, quem Clemens Alexandrinus nihil similem furti actionem veritus compilavit.“ Lessingius²⁾ vero censet, Clementem haec omnia debere Hippiae sophistae, quem talem librum descripsisse ipse Clemens tradat³⁾.

Subtilissime denique atque accuratissime de ea quaestione disputavit Cobetus in commentariolo, quem de Platone Comico composuit⁴⁾; profectus enim ex loco pag. 752: „Πλάτων δὲ ὁ κωμικὸς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ Δαιδάλῳ τὰ ἀλλήλων ὑφαιροῦνται,“ coniectura sagacissima assecutus est, Clementem cum multa alia tum maxime hanc de furtis litterariis commentationem ex *Aristobulo* in suum usum convertisse. Idem Cobetus affirmat, gravibus sane causis adductus, Aristobulum ipsum illam locorum nubem conguessisse; nam Aristobulus (Clemens⁵⁾) has poëtarum sententias invicem surreptas iudicat:

„πρὸς τοῦτοις Θεοπόμπου ποιήσαντος·

δις παῖδες οἱ γέροντες ὀρθῶ τῷ λόγῳ·

καὶ πρό γε τοῦτου Σοφοκλέους ἐν τῷ Πηλεῖ.

Πηλέα τὸν Διάκειον οἰκουρὸς μόνη

γερονταγωγῶ κάναπαιδεύω πάλιν

πάλιν γὰρ αὖθις παῖς ὁ γηράσκων ἀνὴρ·

Ἀντιφῶν ὁ ῥήτωρ λέγει· „γηροτροφία γὰρ προσέεικε παιδοτροφία“· ἀλλὰ καὶ ὁ φιλόσοφος Πλάτων „ἄρ' ὥς ἔοικεν

ὁ γέρων δις παῖς γένοιτ' ἄν.“

Cum eis igitur versibus comparat Cobetus⁶⁾ notam, quam

¹⁾ Hist. crit. orat. Graec. pag. LII.

²⁾ Vita Sophoclis (OO).

³⁾ Strom. I. I. pag. 745: „φέρει ἀντικρὺς μαρτυροῦντα ἡμῖν Ἱππίαν τὸν σοφιστὴν τὸν Ἡλείον, ὃς τὸν αὐτὸν περὶ τοῦ προκειμένου μοι σκέμματος ἔκειν λόγον, παραστησώμεθα ὥδ' ὡς λέγοντα· κτλ.“

⁴⁾ Observationes criticae in Platonis Comici reliquias. Amstelodami 1840. pag. 68—79.

⁵⁾ I. I. pag. 748.

⁶⁾ I. I. pag. 74.

criticus quidam in Aristophanis ¹⁾ codice ad marginem adscripsit:

„Ἐγὼ δὲ γ' ἀντεπιποιμ' ἄν, ὥς δις παῖδες οἱ γέροντες·
 Παῖδες τε γὰρ τὴν ἀρχὴν ἦσαν ἄφρονες, καὶ νῦν
 Παῖδες εἰσι τῷ νῶ πάλιν ληροῦντες.
 καὶ Σοφοκλῆς ἐν Πηλεΐ·
 Πηλέα τὸν Αἰάκειον οἰκουρὸς μόνη κτλ.
 καὶ Θεόπομπος·
 Δις παῖδες οἱ γέροντες ὀρθῶ τῷ λόγῳ·
 καὶ Πλάτων· ἄρ' ὥς ἔοικε δις γένοιτ' ἄν παῖς γέρων.
 καὶ Ἀντιφῶν· Γηροτροφία γὰρ προσέοικε παιδοτροφία.“

Unde Cobetus colligit, Aristobulum locos similes, quos grammatici Alexandrini in librorum margine adnotare consueverant, in suum commodum recepisse ²⁾. Sed quamvis subtilis sit haec coniectura, neque tamen omnibus numeris mihi arridet. Id quidem pro certo affirmare possumus, Clementem in isto de furtis commentariolo Aristobulum adhibuisse; habemus autem, quod dubitemus, num Aristobulus eos similes locos, quibus litterarias Graecorum fraudes evincere vult, ipse congesserit. Nam, quominus hoc factum esse credamus, prohibemur loco pag. 152.: „Μελησαγόρου γὰρ ἔκλεψεν . . . καὶ Ἑκαταῖος.“ lam supra ³⁾ disserentes de Pseudo-Hecataeo demonstravimus, Clementem ibi ex diversis fontibus hausisse; mirum enim est, si Hecataeum, quem modo Iudaeorum studiosissimum praedicaverat, eodem stromatum libro (VI. 2.) ⁴⁾ furti accusat. Nosmet ipsi dubii haeremus, quomodo rem spinosam expediamus; ita fere

¹⁾ Aristoph. nubes v. 1409.

²⁾ l. l. pag. 76: „Itaque simul fraudulentum Iudaeum furti manifestum tenemus et compertum est ex quibus fontibus Graecorum locos congesserit: nempe ex commentariis, quos eruditi Alexandrini praesertim in poëtas epicos, tragicos, comicos conscripserant. Compertum simul est, quam temere locos similes, quos illi docte attulerant, ut comparatio afferret lucem, omnes pro plagiis et furtis in suam farraginem receperit.“ Versus ille: „ἄρ' ὥς ἔοικεν ὁ γέρων δις παῖς γένοιτ' ἄν, quem Clemens Platoni philosopho falso tribuit, Platoni Comico delegandus est.

³⁾ pag. 22.

⁴⁾ Quem locum ex Aristobulo deprompsit.

explicari posse opinamur: Aristobulum totam commentationem inconsiderate transscripsisse ex aliquo „florilegio“; eiusmodi libros grammaticos Alexandrinos conferendi causa conscripsisse, litterarum historia docemur. Atque profecto apud Eusebium ¹⁾ invenitur fragmentum libri I. Porphyrii „περὶ τῆς φιλολογίας ἀκροάσεως“, ubi eiusmodi „promptuaria“ commemorantur. Inter eos scriptores, quos Porphyrius locos similes contulisse tradit, *Aretadas* ²⁾ nominatur, qui libellum „περὶ συνεμπτώσεως“ composuit; ex sola tituli inscriptione materia cognoscitur. Aretadas enim illam locorum congeriem repetiisse videtur, ut ad litterarum historiam explicandam, in quantum alius scriptor alium excipiat, perspicue demonstret.

Itaque merito putamus Dindorfium ³⁾ errare, cum contendit, Longini ⁴⁾ verbis eiusmodi promptuaria perstringi.

Quamvis vero difficile sit cognitu, Aristobulus utrum Aretadam compilaverit an Hippiam ⁵⁾ an alium scriptorum, quos Porphyrius affert: id quidem constat, illum ex proximo quoque fonte hausisse; tum eam commentationem, quam quidem Clemens exhibeat, ab ipso auctore ad furta litteraria ostendenda non esse conscriptam.

Quae cum ita sint, minime dubitamus pro certo affirmare, Clementis, quem tractamus, locum iam Aristobuli opera, repetitis iterum ac saepius illis vocabulis „μετέγραψε, ἔκλεψε, κλοπή κτλ.“ contaminatum esse. Extrema ⁶⁾ denique istius capitis verba ipsa Aristobulea haud difficile deprehenduntur.

¹⁾ P. E. X. 3. pag. 464.

²⁾ Cobetus eum prudentiorem quam alios iudicat.

³⁾ Clem. operum vol. I. praef. pag. XXVI: „de quo Longinus quoque verissime dixit . . . quem verisimile est scriptores quosdam περὶ κλοπῆς his verbis notare voluisse.“

⁴⁾ Longinus de sublim. c. 13: „ὁ δὲ ἐπὶ τὰ ὑψηλὰ — ἡ τῶν ἔμπροσθεν μεγάλων συγγραφέων καὶ ποιητῶν μίμησις τε καὶ ζήλωσις. — ἔστι δ' οὐ κλοπὴ τὸ πρᾶγμα, ἀλλ' ὡς ἀπὸ καλῶν ἡθῶν ἢ πλάσματων ἢ δημιουργημάτων ἀποτύπωσις.“

⁵⁾ Dindorfio iudice; l. l. praef. pag. XXVI.

⁶⁾ pag. 752. ἐπιλείπει γὰρ με ὁ βίος, εἰ καὶ ἕκαστον ἐπεξείναι αἰροίμην τὴν Ἑλληνικὴν διελέγχων φίλαντον κλοπὴν καὶ ὡς σφετερίζονται τὴν εὐρεσιν τῶν παρ' αὐτοῖς καλλίστων δογμάτων, ἣν παρ' ἡμῶν εἰλήφασιν.

V.

Clementis excursus de septimo die.

Manifesto Clemensprehenditur, unde sua argumenta hauserit, cum invitus — ne dicam inconsideratus — ad Iudaeorum laudes delabatur; talem opportunum locum invenimus in strom. lib. V, 14. pag. 713., ubi suo more evincere studet, Graecorum philosophos „δόγματα“ ex Hebraeorum libris deprompsisse. Occasione igitur oblata, de sacro septenario numero disputans, contendit, Graecos ipsos diem septimum religiose coluisse — quamquam paulo supra eandem sententiam de die *octavo* tutatus erat.

Quibus igitur causis Clemens adigitur, ut *eodem* capite octavum *ac proinde* septimum diem — octavus nempe dies a Christianis sacer habetur, septimus ab Hebraeis — apud Graecos celebrari contendat? Suspiciamus, totum locum repperisse eum in doctrina de numeris symbolica, quam Iudaeus quidam ad sabbata defendenda composuerat; atque profecto temporibus ipsis illis summo erant Graecis atque Romanis ludibrio Iudaei, quod tam religiose ferias agebant ¹⁾).

Ac primum quidem ipsius Clementis verba audiamus:

pag. 713. „ἀλλὰ καὶ τὴν ἐβδόμην ἡμέραν ἱερὰν οὐ μόνον οἱ Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι· καθ' ἣν ὁ πᾶς κόσμος κυκλοῖται τῶν ζωογονουμένων καὶ φυομένων ἀπάντων. Ἡσίοδος περὶ αὐτῆς λέγει·

„πρῶτον ἔτη τετράς τε καὶ ἑβδομον ἱερὸν ἡμᾶρ·
καὶ πάλιν.

ἐβδομάτῃ δ' αὖθις λαμπρὸν γάος ἡλίοιο.

¹⁾ Id intellegimus vel ex ipsis Horatianis „tricesimis sabbatis“; Agatharchides ap. Ios. contra Apion. I, 22. Seneca apud Augustinum de civit. Dei VI, 11. Iuvenalis 14; 106, 107:

„Septima quaeque dies turpi damnata veterno,

Tamquam lassati mollis imago Dei.“

Tac. Hist. V, 4. Cato: R. R. 138: „boves feriis coniungere licet, mulis, equis, asinis feriae nullae sunt.“

Ὅμηρος δὲ·
 ἐβδομάτῃ δ' ἔπειτα κατέλυθεν ἱερὸν ἥμαρ.
 καὶ
 ἐβδόμη ἦν ἱερή·
 καὶ πάλιν
 ἑβδομον ἥμαρ ἔην, καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα.
 καὶ αὖθις·
 ἐβδομάτῃ δ' ἥοι λίπομεν ῥόον ἐξ Ἀχέροντος·
 καὶ μὴν καὶ Καλλίμαχος ὁ ποιητὴς γράφει·
 ἐβδομάτῃ δ' ἥοι καὶ οἱ τετίχοντο ἅπαντα.
 καὶ πάλιν·
 ἐβδόμη εἰν ἀγαθοῖσι καὶ ἐβδόμη ἐστὶ γενέθλη.
 καὶ
 ἐπὶ δὲ πάντα τέτυκτο ἐν οὐρανῷ ἀστερόεντι,
 ἐν κύκλοισι φανέντ' ἐπιτελλομένοις ἐνιαύτοις.“

Primus hos versus examinavit Valckenarius¹⁾, qui ipse apud Eusebium Aristobuli fragmentum, quo idem locus continetur, repperit²⁾.

Apud Eusebium Aristobuli locus sic orditur: δι' ἐβδομάδων δὲ καὶ πᾶς ὁ κόσμος κυκλεῖται τῶν ζωογονουμένων καὶ τῶν γνομένων ἀπάντων. Τῷ δὲ σάββατον αὐτὴν προσαγορεύεσθαι, διερμηνεύεται ἀνάπανσις οὐσα. Διαισαφεί δὲ καὶ Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος, μεττειληφότες ἐκ τῶν ἡμετέρων βιβλίων, ἱερὰν εἶναι.

Ἡσίοδος μὲν οὕτως·

πρῶτον ἔνῃ κτλ. sequitur idem quem Clemens exhibet locus praeter nonnullas diversas scripturas.

τὰ μὲν Ἀριστοβούλου τοιαῦτα· haec sunt extrema verba: unde plane intellegitur, quem auctorem Clemens in usum suum suppresso nomine converterit — Aristobulum istum Iudaeum; is igitur versus laudatos partim ipse tornavit, partim interpolavit, partim immutata oratione explanavit.

¹⁾ De Aristobulo Iudaeo pag. XXXVI, XXXVII, 120, 121. Septimum quidem hebdomadis diem Graeci Romanique non colebant, sed septimus mensis dies — Apollinis natalis — ab eis sacer habebatur; unde Apollinis cognomen ἐβδομαγέτας ductum est.

²⁾ Euseb. P. E. XIII. 12. pag. 668.

Nunc singula quaeque tractabimus:

versus: „ἐβδομον ἡμαρ ἔην καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα“, exstat in Homeri Od. ε', 262:

τέταρτον ἡμαρ ἔην καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα
τῷ δ' ἄρα πέμπτῳ κτλ.

Aristobulus igitur verbis: „τετέλεστο ἅπαντα (cfr. gen. II. 2.) adducitur, ut τέταρτον mutaverit in ἐβδομον.

Homeri versum, qui subsequitur:

„ἐβδομάτῃ δ' ἡοὶ λίπομεν ῥόον ἐξ Ἀχέροντος“

Aristobulus ita allegorice interpretatus est: „τοῦτο δὲ σημαίνων, ὡς ἀπὸ τῆς κατὰ ψυχὴν λήθης καὶ κακίας, ἐν τῷ κατ' ἀλήθειαν ἐβδόμῳ λόγῳ, καταλιμπάνεται τὰ προειρημένα, καὶ γινώσκιν ἀληθείας λαμβάνομεν, καθὼς προείρηται: quam interpretationem Clemens omisit;

Clementis hemistichium „ἐβδόμη ἦν ἱερί“ deest apud Eusebium. Ultimos denique quinque versus Clemens Callimacho, Lino Aristobulus tribuit; in primo notanda est levis lectionis varietas:

„ἐβδομάτῃ δ' ἡοὶ καὶ οἱ τετύκοντο ἅπαντα“ (Clemens).

„ἐβδομάτῃ δὲ οἱ τετελεσμένα πάντα τέτυκται“ (Aristobulus); nos Valckenario ¹⁾ assentimur, qui rem ita expediendam censet: „adeo similis, ut unius cerebri Iudaici hi mihi gemini videantur simillima proles.“ Quod deinde Clemens hos quinque versus Callimacho ²⁾, Lino Aristobulus attribuit, inde Dindorfius ³⁾ colligit, Clementem ipsum aequae atque Aristobulum hos versus Lino adiudicasse; sed librarium quendam, cui Callimachi versus innotuissent, genuini auctoris nomen in Clementis libros recepisse: id vero factum esse videtur ante Eusebii aetatem, quippe qui iam lectiones varias exhibeat. Atque quaerentibus nobis, qua de causa Aristobulus illos versus, quos Callimachi esse haud ignorabat, Lino supposuerit, Valckenarius ⁴⁾ meo quidem iudicio acute respondit:

¹⁾ l. l. pag. 123.

²⁾ Quattuor sane versus Callimachi sunt.

³⁾ Ed. Clem. vol. III. pag. 713. P.

⁴⁾ l. l. pag. 125.

„Philadelphi aetate claruerat Callimachus, cuius erant Aristobuli aevo atque in aula Philometoris Alexandriae notissima poëmata. Non huius itaque, sed cuius scripta nusquam inveni-ebantur, Lini nomen fraudibus erat Iudaei commodum.“

Addenda denique est magis acuta quam probabilis Valckenarii coniectura¹⁾, qui, cum sententiarum ordo in Clementis libris his versibus interrumpatur, eos in caput XVI. libri sexti translatos mavult; eo enim loco Clemens noster uberiores de numeris doctrinam exhibet. Contra disputare licet, ut eo, quo nunc exstant, loco omnino non cohaereant cum vicinis, ita illos ab verborum et ipsius sexti libri continuatione prorsus abhorrere. Nos quidem opinamur Alexandrino nostro, nempe compilatori eidemque doctrinae iactatori, Graecorum „κυριακὴ ἡμέρα“, unde profectus erat²⁾, opportunam ansam dedisse, Aristobuleos quoque de sabbato versus testes excitandi. Ceterum animadvertendum est, Clementem iterum ac saepius „ad ostentandam doctrinam“ sententiarum nexum atque seriem interrumpere consuevisse.

¹⁾ l. l. Omnia quae leguntur pag. 713. „ἀλλὰ καὶ Ἑβραῖοι usque ad verba τί δέ; οὐχί“ non quidem eicienda e textu, sed obelo notanda, quod nullum ista nexum habent nec cum vicinis neque adeo inter se cohaerent.

²⁾ l. l. pag. 712: „τὴν τε κυριακὴν ἡμέραν ἐν τῷ δεκάτῳ τῆς πολιτείας ὁ Πλάτων διὰ τοῦτων καταμαντεύεται“. „ἐπειδὴ δὲ τοῖς ἐν τῷ λειμῶνι ἑκάστοις ἑπτὰ ἡμέραι γένοιντο, ἀναστάσαντας, ἐντεῦθεν δὴ τῇ ὀγδόῃ*) πορεύεσθαι, καὶ ἀφικνεῖσθαι τειαρταίους.“

*) Secundum allegoricam Clementis interpretationem „ὀγδόη ἡμέρα“ idem significat quod Christianorum „dies Dominica.“

VI.

De spuriis versibus, quibus Clemens, Graecos unum deum coluisse, comprobare vult.

Eodem libri stromatum sexti, capite XIV., ex quo versus supra modo examinatos, laudavimus, continentur alia documenta, quibus auctor misere desudat et elaborat in argumentis afferendis, Graecorum poëtas et philosophos *unum* summum numen agnovisse. Sunt quidem loci, ex philosophorum scriptis deprompti, genuini¹⁾, poëtarum vero versus, plerumque Sophocli, Aeschylo, Diphilo, Menandro suppositi, aut interpolati aut ficti sunt aestimandi. Eosdem versus iam antea Iustinus Martyr et auctor libelli de monarchia in suum usum converterunt. Scaligero igitur primo isti suspecti erant; Bentleius deinde iam Pseudo-Hecataeum, cuius nomen semel commemoratur, falsarium sentit²⁾: atque idem tulit iudicium Valckenarius³⁾.

Böckhius⁴⁾ denique pro certo affirmat, quoscunque versus, Aeschylo, Sophocli, Diphilo, Menandro tributos, proferat Clemens ad religiosas Graecorum de uno deo opiniones comprobandas, eos ad unum omnes haustos esse ex Pseudo-Hecataei „*ἱστορία κατ' Ἀβραμὸν καὶ τοὺς Αἰγυπτίους*.“

Haec sententia cum firmissimis fulciatur adminiculis, nos accingimus de praestantissimis locis pauca disputare⁵⁾:

pag. 717: „*ναὶ μὴν καὶ ἡ τραγῳδία, ἀπὸ τῶν εἰδώλων ἀποσπῶσα, εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβλέπειν διδάσκει· ὁ μὲν Σοφοκλῆς, ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ τὰς ἱστορίας συνταξάμενος, ἐν τῇ κατ' Ἀβραμὸν καὶ τοὺς Αἰγυπτίους ἀντικρὺς ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐκβοᾷ·*

„εἰς ταῖς ἀληθείαισιν, εἰς ἐστὶν θεός.

ὃς οὐρανὸν τ' ἔτενξε καὶ γαῖαν μακρὰν,

πόντον τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίαν. κτλ.“

¹⁾ Excipienda est sola sexta Platonis epistula.

²⁾ Ep. ad Millium pag. 717.

³⁾ l. l. pag. 18.

⁴⁾ De Graecae tragoediae principibus. Heidelbergae 1808. pag. 146—164.

⁵⁾ Ea in re unus dissentit Saint-Croix: hist. Alex. Magn. pag. 510.

Eundem locum Clemens iam attulit Protreptici cap. 7, pag. 63.; ante Clementem Iustinus ¹⁾ et auctor incertus libelli de monarchia ²⁾; ex Clemente hauserunt Theodoretus ³⁾ atque Eusebius ⁴⁾ Cum sermo Graeciensis atque adeo Hebraeus tum maxime illae obtestationes „ἔσται γὰρ ἔσται, εἰς ταῖς ἀληθείαισιν, εἰς“ redolent auctorem Iudaeum.

Proximos superiores versus Sophocli suppositos pag. 716: „ὁ Σοφοκλῆς δὲ εὐθυρημόνως γράφει·

τὴν τοῦδε γὰρ τοι Ζεὺς ἔγημε μητέρα,
οὐ χρυσόμορφος, οὐδ' ἐπημφιεσμένος
πτύλον κύνειον, ὡς κόρην Πλευρωνίαν
ὑπημβρύωσεν· ἀλλ' ὀλοσχερῆς ἀνὴρ.
εἴτ' αὖ ἐπελθὼν καὶ δὴ ἐπήγαγεν·
ταχὺς δὲ βαθυμοῖς νυμφικοῖς ἐπεσχάλη
ὁ μυχός. κτλ.“

Dindorfius ⁵⁾ fictos atque adulterinos ostendit. His, quae hactenus tractavimus, adiungenda est haec Isaiae sententia numeris inclusa ⁶⁾:

„τί μοι πλήθος τῶν θυνσιῶν; πλήρης εἰμὶ ὀλοκτανωμάτων
κριῶν καὶ στέαρ ἀρνῶν καὶ αἷμα ταυρῶν οὐ βούλομαι· λούσασθε,
καθαροὶ γένεσθε, ἀφέλετε πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν.“

„Μένανδρος ὁ κωμικὸς αὐταῖς γράφει ταῖς λέξεσιν·

εἴ τις δὲ θυνσίαν προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
ταύρων τι πλήθος ἢ ῥίφων, ἢ νῆ Δία
ἐτέρων τοιούτων. ἢ κατασκευάσματα,
χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδας ἥτοι πορφυρᾶς
ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια,
εὐνοὺν νομίζει τὸν θεὸν καθεστάναι·
πεπλάνητ' κτλ.

ultimus versus: ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε, πλησίον παρών.“

¹⁾ cap. 18.

²⁾ cap. II.

³⁾ vol. IV. 896.

⁴⁾ P. E. XIII. 680.

⁵⁾ Thesaurus s. v. βαθμός.

⁶⁾ Is. I, 11, 16.

Libello de monarchia¹⁾ tribuuntur ii versus Philemoni; quamquam neque Menandri neque Philemonis sunt. Quinque primos ex poeta quodam comico sumptos esse verisimile est; reliqui a Pseudo-Hecataeo tornati sunt: vocabula enim *διά* pro *ἐκ*, *καθεστάναι* loco *εἶναι* recentiorem Graecorum linguam, *πλανᾶσθαι* = *σφάλλῃσθαι* Hebraeorum sermonem aemulantur.

pag. 721: „καὶ πάλιν ὁ Μένανδρος παραφράζων τὴν γραφὴν ἐκείνην· θύσατε θυσίαν δικαιοσύνης καὶ ἐλπίσατε ἐπὶ κύριον, ὧδέ πως γράφει·

. μηδὲ βελόνης, ὧ φίλτατε,
ἐπιθυμήσης ποτ' ἄλλοτρίας· ὁ γὰρ θεὸς κτλ.

.
βροντῆς ἐὰν ἀκούσης, μὴ φύγῃς, μὴ συνειδῶς²⁾
αὐτὸς ἐαντῶ, δέσποτα· ὁ γὰρ θεὸς
βλέπει σε, πλησίον παρῶν . . .“

De eis adulterinis versibus idem quod de proximis Menandri sentimus.

Sequitur deinde Diphili fragmentum, quod Iustinus³⁾ Philemoni supponit:

„Αἰφίλος πάλιν ὁ κωμικὸς τοιαῦτά τινα περὶ τῆς κρίσεως διαλέγεται·

οἶε σὺ τοὺς θανόντας, ὧ Νικήρατε,
τρυφῆς ἀπάσης μεταλαβόντας ἐν βίῳ,
πεφυγέναι τὸ θεῖον, ὡς λεληθότας;
ἔστιν Αἰκῆς ὀφθαλμός, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.

.
. , μηδὲν πλανηθῆς·
ἔστι καὶ ἄδου κρίσις· ἣν περ ποιήσῃ
θεὸς ὁ πάντων δεσπότης, οὗ τοῦνομα
φοβερώτερόν ἐστιν, οὐδ' ἂν ὀνομάσαιμ' ἐγώ.

¹⁾ pag. 168.

²⁾ Iust. pag. 164. βροντῆς ἀκούσας μηδαμῶς πόρρω φύγῃς.

³⁾ pag. 161.

Incipit alterum fragmentum:

εἴ τις δὲ θνητῶν οἶεται τοῦτ' ἡμέραν

κακόν τι πράσσω

.

ὁρᾷτ' ὅσοι δοκεῖτε οὐκ εἶναι θεόν·

ἔστιν γὰρ, ἔστιν·

ἔσται γὰρ, ἔσται καινὸς αἰὼνος χρόνος,"

Locus universus facile in duas partes dividitur inter se nullo vinculo connexas; versus „ἔστιν δίκης ὀφθαλμός“ a Plutarcho traditur ¹⁾). Extremos quinque versus prioris fragmenti ab Hecataeo falsario compositos esse, haud difficile est intellectu;

μηδὲν πλανηθῆς conferendum est cum Prov. I, 10; VII, 25. Is. 44, 8. I. Corinth. 6, 8—10; *κρίσις ἄδου* = *κρίσις τῆς γενένης* Matth. 23, 33. *κρίσιν ποιεῖν* loco *ποιεῖσθαι* Is. I, 24. Ps. 139, 13. Deuteron. 10, 18. Ps. 98, 4; *ὁ πάντων δεσπότης* Iudaeorum more dictum est; *οὗ τοῦνομα φοβερώτερον* cfr. Ps. 119, 9: „ἅγιον καὶ φοβερόν τὸ ὄνομα αὐτοῦ“ · οἶδ' ὀνομάσαιμ' ἐγώ· cui non venit in mentem illius nominis *יהוה*, quod ipsum effari nefas?

Alterius fragmenti quinque priores versus ex Euripidis Phrixo deprompti sunt ²⁾): ceteri „ἔστιν γὰρ, ἔστι κτλ.“ interpolati sunt.

De Orphei oraculis, quae hoc loco apud Clementem inserta sunt ³⁾), quid sentiamus, iam supra pag. 31. disseruimus.

Pag. 727. 728. „*πάλιν αὖ Αἰσχύλος μὲν ὁ τραγωδοποιός, τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ παρατιθέμενος, οὐκ ὀκνεῖ καὶ Ὑψιστον αὐτὸν προσαγορεύειν διὰ τούτων·*

χώριζε θνητῶν τὸν θεόν, καὶ μὴ δόκει

ὁμοῖον αὐτῷ σάρκινον καθεστάναι·

οὐκ οἶσθα δ' αὐτὸν· ποτὲ μὲν ὡς πῦρ φαίνεται,

ἄπλατος ὁρμη, ποτὲ δ' ὕδωρ, ποτὲ δὲ γνῶφος·

¹⁾ Nauck: fragm. poet. trag. pag. 705.

²⁾ Iustin. pag. 161. Sextus Emp. pag. 275. 279. Stob. Eclog. I, 3, 15. pag. 110.

³⁾ pag. 723. 724.

καὶ θηρσὶν αὐτὸς γίνεται παρεμφερὴς,
 ἀνέμῳ, νεφέλῃ τε, ἀστραπῇ, βροντῇ, βροχῇ.
 ὑπερετεῖ δ' αὐτῷ θάλασσα καὶ πέτραι,
 καὶ πᾶσα πηγὴ, χ' ὕδατος συστήματα.
 τρέμει δ' ὄρη καὶ γαῖα καὶ πελώριος
 βυθὸς θαλάσσης, καὶ ὀρέων ὕψος μέγα,
 ἐπὰν ἐπιβλέψῃ γοργὸν ὄμμα Δεσπότης
 πάντα· δυνατὴ γὰρ δόξα ὑψίστου Θεοῦ.“

Ex ipso verborum contextu atque insuper ex genere dicendi isti versus a Pseudo-Hecataeo ficti cognoscuntur. Singulos examinemus:

v. 1. χωρίζειν τινός cfr. Esdr. 6, 21. Proverb. 18, 1; μὴ δόκει Macc. 2, 7, 16; σάρκινος Christiani quid spirat; cfr. Ezech. 11, 19; 36, 26; II. Corinth. 3, 3. II. Paral. 32, 8.

v. 4. ὀρμή parum Graece dictum; γνώφος Ex. 10, 22; Ios. 24, 7; Ioël 2, 2; Deuteron. 4, 11; 5, 22; Ex. 14, 20; Ezech. 34, 12.

v. 5. θήρ Iob. 5, 23; II. Macc. 4, 25; 11, 9.

v. 6. νεφέλη καὶ ἀστραπὴ Ex. 19, 16; praeterea animadvertite, quam concinne ex Hebraeorum linguae legibus singulae sententiae compositae sint.

v. 8. πᾶσα πηγὴ gen. 1, 10; Ezech. 31, 4; Ierem. 51, 32; γαῖα Esdr. 9, 14; Ps. 48, 11; βυθὸς θαλάσσης = ἄβυσσος Ps. 76, 16, 18; ἐπιβλέπειν = intueri; abhorret a sermone Attico; δεσπότης = יְהוָה; ὑψιστος θεὸς loco Ζεὺς ὑψιστος.

Exeunte hac relatione afferimus locum ex sexta Platonis epistula¹⁾, quo Clemens „Trinitatem“ obscure significari opinatur:

pag. 710: „σιωπῶ γὰρ Πλάτωνα ἀντικρὺς οὗτος ἐν τῇ πρὸς Ἐραστον καὶ Κορίσκον ἐπιστολῇ φαίνεται Πατέρα καὶ Υἱὸν, οὐκ οἶδ' ὅπως ἐκ τῶν Ἑβραίων γραφῶν ἐμφαίνων παρακελευόμενος κατὰ λέξιν.“

ἐπομνύντας σπουδῇ τε ἅμα μὴ ἀμούσῳ καὶ τῆς σπουδῆς ἀδελφῇ παιδείᾳ, τὸν πάντων Θεὸν αἴτιον καὶ τοῦ ἡγεμόνος καὶ αἰτίου Πατέρα Κύριον ἐπομνύντας, ὃν ἐὰν ὀρθῶς φιλοσοφήσητε

¹⁾ Karsten de Platonis epistulis. Traiecti 1864. pag. 42. sqq.

εἴσεσθε. Haec ipsa epistula ad eundem facile referri potest auctorem, ad quem reliqui loci immutata oratione explanati — Aristobulum dico. Ceterum censemus, interpolationem „καὶ τοῦ ἡγεμόνος καὶ αἰτίου Πατέρα“ a Clemente additam esse.

Sobrio igitur iudicio illud XIV. caput V. libri, quod philologica Clementis doctrina maxime abundat, revocandum est ad duos fontes — nempe ad Aristobulum atque Pseudo-Hecataeum.

VII.

Clementem ex Favorino hausisse probabile est.

Ernestus Maassius in „quaestionibus de biographis Graecis selectis“ ¹⁾ de fontibus Diogenis Laërtii disputans ex concordia inter Diogenem et Clementem in rebus, quae ad philosophiam spectant, colligere sibi licere censet, utrique communem fuisse fontem, quem Favorini ἀπομνημονεύματα et παντοδαπὴν ὕλην indicat.

Atque profecto ex comparatione inter Clementis strom. lib. I. pag. 129. et Laërtii lib. VIII. § 1. sqq. ²⁾ facta intellegi potest, Alexandrinum nostrum Diogene uberius excerptisse Favorinum.

Placita deinde philosophorum, maxime sylloga dogmatum Pythagoricorum, si Clementem cum Laërtio et Porphyrio contulerimus, ad eundem facile revocantur fontem, quem Favorinum statuimus. Placita vero Pythagorica, quae Clemens solus exhibet, num ad Favorinum referenda sint, usque hodie dubii haeremus; praesertim cum apud Diogenem originis indicium exstare videatur: „φησὶ δ' ὁ Ἀλέξανδρος ἐν ταῖς φιλοσόφων διαδοχαῖς“ ³⁾.

Orphica et oracula Sibyllina Clementem et Hesychium ex Favorini omnigena historia hausisse, iam supra adnotavimus.

¹⁾ Berolini 1880.

²⁾ De Pythagorae vita.

³⁾ Diog. VIII. 24, 36.

Stromatum denique lib. I. caput XIV., eximium illud doctrinae specimen, ut totum ex Favorino depromptum putemus, comparatione inter Clementem et Diogenem ¹⁾ habita vehementer adigimur. Sed eam, quam modo movimus, quaestionem, cum spinis omnino non careat, futurae opportunitati reservamus.

Iam vero nunc finem huic programmati faciamus oportet; quaecunque de Clementis doctrina disputavimus, sine ira et studio, solius veritatis amantes, scripsimus, neque omnino „eruditissimi patris“, quem suo merito facimus maximi, vituperandi gratia.

¹⁾ Diog. I, 99. II, 40; 41. I, 63; 73; 88; 79; 22; 99. prooem. 15. I, 32; 62. II, 86. III, 46. VI, 97. VIII, 43; 87. IX, 13. X, 5; 14.

I n d e x.

	pag.
I. Recognitio editionum et librorum, quibus de Clementis fontibus disputatur	3
II. Qua doctrina exstructus religionis Christianae propugnatoris munus susceperit Clemens	8
III. De adulterinis, qui Clementis aetate circumferebantur, libris .	18
IV. De furtis litterariis Graecorum	34
V. Clementis excursus de septimo die	40
VI. De spuriis versibus, quibus Clemens, Graecos unum deum coluisse, comprobare vult	44
VII. Clementem ex Favorino hausisse probabile est	49



